


ECCLESIÆ IESU-CHRISTI

SUMMARIUM

HISTORICUM,

IN QUO

EVIDENTER APPARET ECCLESIAM, QUÆ NUNC CATHOLICA ROMANA DICITUR, IPSISSIMAM ESSE QUAM FILIUS DEI FACTUS HOMO SUPRA CONFESSIONEM DE IPSIUS DIVINITATE A PETRO APOSTOLO FACTAM ÆDIFICAVIT.

Auctore

Illmo. D. D. Felice Amat,

Archiepiscopo Palmyrensi

&c. &c.

Tomus Secundus.

BARCINONE

TYPIS J. Verdaguer.

Superiorum permissu.

1830.





ÆTAS TERTIA

A MORTE S. GREGORII MAGNI AD MORTEM USQUE INNOCENTII TERTII.

CAPUT I.

De iudæis, gentilibus, et mahometanis.

Ecclesia eadem quæ antea fuit est tertiâ ætate 1. *A quibus inimicis agitatur* 2. *Iudæi sæpè oppressi: plures in Hispania convertebantur* 3. *Martyres in Persia et alibi* 4. *Mahometus religionem facilem fingit* 5. Alcoranus: Hegira 6. *Fit propheta bellicus* 7. Caliphæ *et arabes instructissimi ut vincant* 8: *persæ verò et græci sic sunt, ut vincantur* 9. *Propagatio Ismaëlismi ita humana est, sicut Christianismi est Divina* 19.

§ I. Ecclesiam in tertiâ ætate considerare aggredimur; in qua novâ omninò facie à duabus præcedentibus ætatibus longè diversa se se nobis exhibet. Parum ei molestiæ idololatria nunc affert: at recens natum *mahometismi* monstrum plurimas christianas provincias pavore, strage, morte replet, opprimit, desolat. Præterea barbari populi ex aquilone in Europam romanam iam ætate priori irrumpentes, densissimas ignorantiæ tenebras per eam

diffundunt: ex ignorantiâ verò morum corruptionem immensùm serpere et ingravescere consequens fuit. His tamen novis et cruentis malis, et pluribus simul ex antiquis agitata Ecclesia, idem omninò corpus est ætate tertiâ, quod erat antea; eodem spiritu animata, eandem fidem corde tenens et ore professa, et sub eiusdem Domini protectione firma consistens. Ita sibi facilè persuadebit quicumque ea attentè consideret, quæ primò de bellis contra Ecclesiam motis ab eius externis inimicis; et deinde de eius intimâ historiâ indicabimus *(Lib. IX. n.* 1 *)*.

§ II. Quinam verò fuerunt Ecclesiæ hostes, contra quos tertiâ ætate ipsi pugnandum fuit? Plures sanè, et longè inæqualium virium. Iudæi et gentiles non multùm damni ei intulerunt: *mahometani* ipsam barbarâ inhumanitate devastarunt: schismatici Orientis diversa et quidem nobilissima membra eius prosciderunt; monothelitæ verò, iconoclastæ, novi manichæi, aliique hæretici gravissimis malis eius patientiam, fidem et constantiam exercebant *(ib. n.* 2 *)*.

§ III. Iudæi hac ætate non modò gentiles ut antea, sed etiam *mahometanos* contra Christi Ecclesiam mille artibus excitabant: ubique tamen, potissimùm in Galliâ et Angliâ circa finem sæculi duodecimi, ipsi etiam à Regibus opprimebantur, et à populis sæpè in commotione trucidabantur. Fuerunt hac ætate inter iudæos quidam viri sapientiâ celebres, præcipuè in Hispaniâ, ut Abraham Aben Ezra, et R. Moyses. Hispani Reges iudæorum pertinaciam vincere, eosque ad fidem convertere vehementer optabant, neque pauci erant qui fidem Christi amplectebantur. Hos inter Samuel Marochinus, et Petrus Alphonsus doctissimis scriptis fidei christianæ veritatem ex iudæorum principiis, seu libris sacris veteris Testamenti postea demonstrabant *(ib. n.* 3 *et* 4 *)*.

§ IV. Dum initio sæculi septimi constantinopolitani Imperii vicinas provincias persæ devastabant, innumeri fuere, maximè in Palæstinâ, martyres: inter quos Anastasius, origine persa, singulari fortitudine persecutores alloquens capite truncabatur. Sed tandem cons-

tantinopolitanus imperator Heraclius magno religionis zelo in Deo spem collocans, et pace à Chosroâ persarum rege frustrà exoratâ, exercitu longè debiliori cum eo bellum suscepit, iteratis præliis eum semper vicit; et tandem à Siroe, qui patri suo Chosroæ morte cruentissimâ enecato successerat, belli finem, captivorum libertatem, et sanctæ crucis Christi ab Ierusalem ad Persiam antea translatæ restitutionem consequitur. Etiam in borealibus meridianisque Europæ regionibus plures fuere hac ætate qui in Normannorum irruptionibus fidei christianæ testimonium proprio sanguine confirmarunt. (*ib. n.* 5 *ad* 8).

§ V. Vix tertiâ Ecclesiæ ætate ineunte, Mahometus se à Deo missum existimans ut per totum terrarum orbem verum Dei cultum reformaret, primùm quidem coram quibusdam sibi coniunctis, et post quatuor annos palàm se prophetam iactabat; et quam religionem intentioni suæ accommodatam excogitaverat, eam publicè prædicabat. In eâ autem nullum proponebat dogma cuius intelligentia aut fides difficilis foret, nullum præceptum quod hominum concupiscentiæ multùm repugnaret (*ib. n.* 9 *et* 10).

§ VI. Præterea aut impostor comminiscebatur, aut fanaticus ipse credebat, se cum sancto angelo Gabriele frequentissimè conversari: multa scribi iubebat, quasi documenta ipsi à Deo per Angelum communicata; et eorum collectionem vocabat *Coram* seu *Librum* aut *Legenda,* quasi id unum esset quod legendum foret ab iis qui Deo accuratè servire desiderarent. In eo libro miracula Moysi et Christi certa fuisse fatebatur: se autem non eò à Deo missum aiebat, ut miracula faceret; sed solùm ut homines erudiret. In multis turpissimè errat, et secum pugnat. Nihilominùs circa Dei maiestatem, potentiam, et bonitatem, atque hominum malitiam multa congerit et repetit, et in idololatras acriter insurgit. Neque negari potest principia ex quibus sectam suam Mahometus confingebat, et magnam imaginandi vim, popularemque eloquentiam qua ea proponebat, aptissima fuisse ut rudes Arabiæ populos ad se raperet. Nihilominùs in ipsâ

patriâ suâ ut insipiens et impostor primò habebatur, et ab urbe Mechâ fugere cogebatur anno Christi sexcentesimo vigesimo secundo, à quo *epocha mahometanorum* sumit initium, eamque *Hegiram* vocant, quæque duodecim mensium lunarium, seu dierum trecentorum quinquaginta quinque, annum constituit (*ib. n.* 11 *et* 12).

§ VII. Cognovit ergo Mahometus solas suasorias artes omninò insufficientes esse, ad mutationem religionis in toto orbe quam moliebatur. Itaque prophetam bellicosum agere incipit: sectarios suos vocat *credentes*, armis instruit, ac bellico furore inflammat; omnibus qui pro suâ ementitâ religione pugnantes obeunt, quæcumque tandem illorum vita fuerit, paradisum non defuturum adseverans. Milites cæcâ superstitione audacissimos variis modis sibi devincit et multiplicat, à victoriâ ad victoriam ducit, et totam Arabiam brevi occupat (*ib. n.* 13).

§ VIII. Nono *Hegiræ* anno moriebatur Mahometus; et eius successores, qui nomen *Caliphæ* seu *Vicarii Prophetæ* sibi assumunt, imperii fines latissimè supra fidem extendunt. Quòd si *Caliphas* et arabes conferas cum Imperatoribus et populis Persiæ et Constantinopolis, quorum provincias illi occuparunt, nescias omninò quinam aptiùs parati erant, illi ut vincerent, an isti ut vincerentur. Arabes illius temporis, frugalitas, libertas, labor, et ferè omnes morum, temporum et locorum circumstantiæ aptissimos militiæ reddebant; atque priores *Caliphæ* vigilanti erga milites curâ et constanti iustitiâ, moribus à luxu remotissimis et severissimis, artis etiam bellicæ peritiâ constanti usu et observatione illustratâ, inter præclarissimos ætatum omnium duces militares enumerari merebantur (*ib. n.* 14 *ad* 16).

§ IX. Contrà verò in Persiâ et constantinopolitano Imperio, populos internæ factiones passim inter se dividebant: immodico et antiquo luxu artes bello utiles ferè omninò perierant; et mores ad sensuum delicias et quæstiones seu speculationes inutiles, magis quàm ad corporis laborem et animi robur compositi, tam in ducibus quàm in militibus bellicas virtutes comprimebant, artes suffocabant (*ib. n.* 17).

§ X. Itaque *ismaëlismus* arte et vi, ut rebus humanis usuvenit, propagatus fuit: secùs verò religio christiana, iis scilicet modis quibus opera hominum perire solent. Mahometus et eius discipuli, ut suam religionem extendant, eos qui eam amplecti renuunt sæpè interficiunt: Iesus-Christus et qui eius doctrinam aliis prædicant, interficiuntur. Illi cruentas frequentissimasque victorias de inimicis reportant: isti per tria continua sæcula, et postea non raró tormentis et morti ad millia millium traduntur. Ex quibus et aliis apertè colligitur *ismaëlismi* propagationem opus esse hominum, *christianismi* verò opus Dei (*ib. n.* 18 *ad* 20).

CAPUT II.

De hæreticis tertiæ ætatis.

Novi manichæi Bulgariæ 1 *: in Italia et Gallia* 2. *Hinc Tanquelinus et Albigenses* 3. *Arnaldus Bresciensis: Valdenses* 4. *Novi hæretici nequeunt Hispaniam inficere* 5. *Didacus et Dominicus in* Occitania : *sacrum bellum* 6. *Berengarius* 7. *Monothelismus* 8. *Sophronius : actio* Theandrica 9 : Ecthesis : *Disputatio Maximi* 10 : Typus *damnatus in concilio romano* 11. *Martinus Papa et alii martyres* 12. *Concilium constantinopolitanum tertium : Honorius* 13. *Iconoclastæ* 14. *S. Germanus* 15 *: Leonis decretum : plures martyres* 16. *Romani Pontifices pro imaginibus dominioque Imperatoris contendunt* 17 *: Concilium iconoclastarum* 18 *: Nicænum secundum* 19 *; Libri Carolini, et concilia Franciæ* 20. *Theodorus Studita : Festum* Orthodoxiæ 21.

§ I. Sæculo Ecclesiæ octavo per Thraciam et alias Orientis provincias ex Syriâ et Armeniâ plures manichæi

spargebantur: atque detestabilioribus sectæ erroribus, aut reiectis aut temperatis, novum nomen, *Paulicianorum* nempè, sibi assumebant. Ab Imperatore constantinopolitano quondam ad mortem inquisitos sanctus patriarcha Nicephorus et alii ecclesiastici viri liberabant, enixis precibus Imperatori suadentes, non eorum mortem, sed conversionem esse procurandam. Et hac benignitate, quam chronographus Theophanes plurium malorum fontem fuisse asseverat, atque mirâ arte qua sectatores erroris se catholicos esse simulabant, altas radices agebat hæresis, et præcipuè per Bulgariam latè extendebatur (*Lib. IX. n.* 21 *et* 22).

§ II. Inde sæculo undecimo ad Occidentem, et primò ad Italiam, et statim ad Aurelianenses, Tolosanos, Atrebates, aliosque Galliæ populos pervenisse compertum est. Hi verò hæretici sacros Libros ferè omnes, parvulorum baptisma et Missæ sacrificium facilè contemnebant: altaria superflua, crucis et imaginum venerationem superstitiosam, et suffragia pro defunctis inutilia iudicabant: unde in clericos et eorum functiones mille dicteria et calumnias evomebant (*ib. n.* 23 *et* 24).

§ III. Ex manichæorum grege videtur egressus Tanquelinus ille, qui sæculo duodecimo Antuerpiæ mores ut effrenatæ lasciviæ monstrum turpissimè corrumpebat: quæ verò pestis verbis et exemplis suis serpserat, sanctitate morum et fervidis sermonibus sancti Norberti et filiorum suorum Præmonstratensium protinùs tepescebat, sensimque cessabat. Recentes manichæi per Gallias, Germaniam et Lombardiam diffusi varia nomina usurparunt; præcipuè verò *Albigenses* vocati sunt (*ib. n.* 25 *et* 26).

§ IV. His affines fuere *Valdenses*, qui præcipuos Arnaldi Bresciensis errores innovarunt. Arnaldus autem Ecclesiam non alia bona quàm decimas et populi oblationes licitè obtinere; damnationis verò æternæ reos esse episcopos qui populorum dominia, et monachos qui immobilia bona possiderent, constanter affirmabat; atque in lautam et luxu solutam quorumdam clericorum vitam vehementissimè declamat. Valdenses à Petro Valdo Lugdunense nomen assumentes circa cleri

auctoritatem, legitimam honorum possesionem, et paupertatis voluntariæ professionem magnoperè errabant: cæteris autem Albigensium erroribus initio saltem non subscripsisse videntur (*ib.* 27 *et* 28).

§ V. Contra Albigenses et Valdenses Italiæ et Franciæ multa et efficaciter Innocentius papa tertius statuebat. Et quamquam Franciæ hæretici vicinas Hispaniæ provincias erroribus suis inficere conabantur, frustrà tamen: nam Durandus Oscensis, et quidam socii ab hæreticis illis seducti mox fidei professionem omninò catholicam ad romanum Pontificem mittebant; et regulam sanctæ vitæ qua, continentiam et paupertatem professi, Divino cultui et proximorum sanctificationi se totos devovebant, summus Pontifex approbavit (*ib. n.* 29 *et* 30).

§ VI. In Galliâ gothicâ sub Tolosani Comitis protectione nova illa hæresis latè grassabatur: cùm verò Didacus de Acebes hispanus Oxomensis episcopus è Româ rediens illàc pertransiret, ibique Pontificis legatos et alios presbyteros aut monachos contra hæresim concionantes inveniret; eos opportunè monuit ante omnia opus esse ut, servorum et equorum fastu et omni luxu procul pulso, verâ pietate et sanctitate morum contra commentitiam hæreticorum pietatem, magis quàm verbis pugnarent. Cuius rei cùm ipse Didacus, et eius socius Dominicus Guzmanus tunc Oxomensis canonicus ibi aliquamdiu manentes exemplum darent, illudque alii sequerentur, magnus fuit hæreticorum numerus qui ad fidem catholicam reducti sunt. Postea verò Petro à Castello Novo ab hæreticis interempto, catholicorum bellum sacrum, quod *cruciatam* vocabant, in hæreticos Galliæ gothicæ seu Albigenses motum est longum atque sævissimum (*ib. n.* 31 *et* 32).

§ VII. Priùsquam Albigenses apparerent circa dimidium sæculi undecimi Ecclesiam perturbaverat Berengarius, in Eucharistiâ negans verum Christi corpus post consecrationem præsens esse, et à fidelibus sumi. Berengarium plures eius amici, præsertim verò Aserinus, opportunè monebant ne antiquam populorum

fidem mutare vellet; sed incassùm. Unde ab aliquot conciliis damnabatur, etiam à Romano; licèt à Gregorio septimo benignissimè exceptus. Sæpè suos errores agnoscere et damnare visus est: sæpè eos iterum amplecti; tandem in fide catholicâ et Ecclesiæ communione è vitâ migrare. Circa finem eiusdem ætatis tertiæ varii errores facilè nascebantur apud eos, qui dialecticâ subtilitate de attributis Dei et Trinitatis mysterio multa disputare, leviterque disserere in ostensionem ingenii contendebant. Hos inter eminebat Petrus Abelardus: cuius et aliorum similes errores zelo ac scriptis sancti Bernardi facilè dissipabantur. Hæc præcipuè in Occidente *(ib. n.* 53 *ad* 57 *).*

§ VIII. In Oriente circa annum sexcentesimum trigesimum tertium sub falsâ specie pacis *monothelismi* monstrum apparebat. Quo nomine ea significatur hæresis quæ in Christo negat esse voluntatem humanam, et unicam admittit, nempè Divinam. Hunc errorem acriter tuebantur Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, et imperator Heraclius prætextu pacis, quoniam eutychiani facilè concilio Chalcedonensi subscribebant, dummodò unica in Christo voluntas admitteretur. Negatâ enim Christo voluntate humanâ, humanam quoque naturam protinùs negandam sperabant. Honorius papa, Sergii artibus præoccupatus, unicam vel duas in Christo voluntates admittere, rem esse putabat de qua disputare parùm intersit, dummodò naturæ duæ admittantur *(ib. n.* 38 *et* 40 *).*

§ IX. Sophronius verò patriarcha Ierosolymitanus magnâ vi in novum errorem insurgebat, fide credendum existimans, duas in Christo voluntates et duas esse naturas: neque veram naturam humanam sine verâ voluntate humanâ posse consistere: neque hominem à peccato voluntate contracto redimi perfectè potuisset, nisi voluntatem humanam ipse Redemptor habuisset. Quasdam observat esse Christi actiones quæ utramque naturam et voluntatem apertè indicant, et meritò vocantur *Theandricæ* seu *Deo viriles*, ut dare visum cæco nato. Aliæ actiones præcisè humanam naturam et voluntatem produnt, ut la-

borare fame: aliæ speciatim Divinam, ut vocare magos per stellam. Dogma catholicum, concilio convocato, roborabat Sophronius; et ad romanum Pontificem mittebat primum ex suis episcopis *suffraganeis*, qui novam doctrinam non adiaphoram seu mediam esse, sed magnum errorem, ab illâ sede, in qua sanæ doctrinæ fundamenta sunt, canonicè damnandum ostenderet (*ib. n.* 39 *ad* 42).

§ X. Anno sexcentesimo trigesimo nono imperator Heraclius instaurandæ pacis obtentu, *Ecthesim* edebat, seu decretum in quo de unâ vel duabus operationibus Christi loqui vel disputare vetabat: et quamquam duas naturas confitebatur, unicam tantùm voluntatem supponebat. Ecthesim damnabat successor Honorii in concilio Romano. Cùm verò in Africæ parte tunc Imperatori constantinopolitano subditâ *monothelismi* disputatio incalesceret, ad eam sedandam disposuit Imperatoris præfectus, ut sanctus Maximus monachus catholicus, et Pyrrhus monothelita, et patriarcha Constantinopolitanus qui ob metum populi ad Africam fugerat, super hac quæstione publicè conferrent. Maximus pro fide catholicâ apprimè disseruit: Pyrrhus errorem retractavit; et tota Africana ecclesia Ecthesim inde abhorrebat (*ib. n.* 43 *ad* 47).

§ XI. Anno sexcentesimo quadragesimo octavo imperator Constans novo decreto, quod *Typus* appellari solet, super eâ quæstione silentium utrique parti fecit; in quo nimis errori favit, eum exæquans veritati. Tunc sanctus Martinus romanus Pontifex in concilio Romano anno sexcentesimo quadragesimo nono, cuius acta integra extant, et totam *monothelismi* historiam ad ea usque tempora comprehendunt, scopum instaurandæ Ecclesiæ pacis, quem in suo decreto Imperator constituerat, commendat: at opportunè monet, ut qui Patrum dogmata hæreticorum erroribus exæquat, non turbas extinguit, sed inflammat; non pacem in obsequium veritatis quærit, sed veritatem cum errore confundit. Declarat etiam sanctus Pontifex negare duas voluntates in Christo, errorem esse non silentio tantùm premendum, sed altâ voce damnandum (*ib. n.* 48 *ad* 50).

§ XII. Hæc concilii Romani decreta mox ut Impera-

tor cognovit, in sanctum pontificem Martinum irâ excanduit : eum prehendi iussit, et Constantinopolim defferri : ibique coram Senatu se sistere, et ut læsæ maiestatis reum iudicari. Martinus tranquillo animo respondet, et tantum crimen non falsè modò sed etiam ridiculè sibi obiici, ad evidentiam usque demonstrat ; atque Senatum exorat ne testes iurare permittat. *Dicant quod velint* aiebat, *et vos dicta sumite quasi iurata : saltem periuria vitentur.* Nihilominùs ut reus mortis carnificibus traditur : ferè nudus, et à vilissimâ plebe mille opprobriis oneratus, in carcerem truditur ; inde in exilium mittitur, et paucos post menses moritur. Etiam sanctus Maximus cum quibusdam sociis fidem catholicam sæpiùs in Senatu magnâ constantiâ et doctrinæ copiâ professus, et Imperatoris tam promissis quàm minis ob timorem Dei modestè contemptis, longam et durissimam mortem in diversis carceribus et exiliis passus est *(ib. n.* 51 *ad* 54 *).*

§ XIII. Tandem curante imperatore Constantino Pogonato sanctus Agathon romanus Pontifex, post celebratum Romæ plus quàm centum episcoporum concilium, legatos mittebat Constantinopolim modestis ac doctis monitis et epistolis munitos. Legatis verò præsidentibus, anno sexcentesimo octogesimo Constantinopoli sextum concilium œcumenicum habitum est, monothelitarum hæresis damnata, et orientali ecclesiæ pax restituta. Inter patronos hæresis, quos anathematis reos concilium declarat, etiam Honorium romanum Pontificem annumerat : non quòd errorem ipse professus sit, sed quòd doctrinam catholicam, cuius puritatem tueri maximi sui muneris erat, maculari permitteret ; et hæresim inconsultè foveret *(ib. n.* 55 *ad* 58 *).*

§ XIV. *Iconoclastæ* seu imaginum destructores illi hæretici sæculo octavo vocati sunt, qui cultum imaginum Christi et sanctorum illicitum et idolicum existimabant. Atque hic error ex conversatione cum mahometanis nasci videbatur, qui tunc in imagines plus solito sævientes, etiam eas quæ ornatûs gratiâ in locis publicis erant, removeri iusserant. Leo Isaurus constantinopolitanus imperator, vir violentissimus, anno septingentesimo vigesi-

mo septimo, populo convocato, imaginum cultum idolicum esse contendens, eas omnes destrui iubebat. At populus, interiùs fide contrà clamante, adeò exhorruit, et in tot lamenta prorupit, ut tunc Imperator iussa suspendere coactus fuerit. Plures erant tamen etiam episcopi, qui ut Imperatori indulgerent, sub prætextu placandi musulmanorum in christianos odium, aut calumniam ipsorum et iudæorum faciliùs dissolvendi, ab imaginum cultu cessandum esse arbitrabantur *(ib. n.* 59 *et* 60 *)*.

§ XV. Contrà verò sanctus Germanus constantinopolitanus patriarcha, pro antiquâ Ecclesiæ fide et consuetudine viriliter pugnabat. Novum non esse monebat imaginum cultum à iudæis et mahometanis ut idolicum calumniosè improbari; calumnias autem ab infidelibus in Ecclesiam intentas solidæ doctrinæ copiâ dissipandas esse, non inconsultis novitatibus roborandas: adorationem omnem à christianis ad Deum referri: neque sanctis eum tribui cultum, qui soli Deo debetur: neque imaginibus Divinitatem repræsentari; sed imagines sanctorum coli in ipsorum memoriam et obsequium: cultum autem his præstitum ad Deum ipsum referri, quem etiam in servis suis colimus et veneramur. Imaginum cultum in Ecclesiâ antiquissimum esse probabat: in conciliis generalibus fuisse veneratas imagines; et huius venerationis innocentiam à Deo ipso prodigiis confirmatam *(ib. n.* 60 *ad* 62 *)*.

§ XVI. Anno septingentesimo trigesimo audacior factus Leo decretum contra imagines edidit, cui cùm sanctus Germanus subscribere noluisset, à suâ sede deturbatus est. Tunc magnus laicorum, monachorum et clericorum numerus, ob novum detestatum errorem martyrio coronati sunt; quos inter celebris est Lecumenicus bibliothecæ Imperialis præfectus, qui cum duodecim eiusdem bibliothecæ ministris, iussu Imperatoris libris accensis, flammis combusti sunt *(ib. n.* 63 *)*.

§ XVII. Suum decretum Leo Romam mittebat. At Gregorius secundus, et postea etiam tertius Imperatorem vehementer increpabant, quòd novâ hæresi Ecclesiam perturbaret; necnon quòd decreto adeò populis exoso

nutans in Italiâ imperiale dominium in nova discrimina adduceret. Addebant hanc quæstionem non ad imperatoriam seu civilem, sed ad ecclesiasticam potestatem pertinere; et simul populos assiduè hortabantur, tum ut cultum imaginum tuerentur, tum etiam ut Imperatori, quamvis inconsultè hæresim protegenti, integram fidem servarent. Interea sanctus Ioannes Damascenus causam imaginum egregiè pertractabat; et monebat *latriæ* nomine eam solam adorationem seu cultum significari, qui Deo ipsi debetur: non venerationem et cultum, quos tribuimus amicis et servis Dei, aut locis et rebus Dei obsequio consecratis *(ib. n.* 64 *ad* 68 *).*

§ XVIII. Vitâ functo Leone, Constantinus Copronimus eius filius, imaginum longè immanior hostis, unicus Imperator extitit. Is episcopos catholicos de suis sedibus depellens, et non nisi acerrimos iconoclastas eligens, post tredecim imperii annos, scilicet septingentesimo quinquagesimo quarto, concilium Constantinopoli cogebat, in quo plus quàm trecenti episcopi imaginum cultum et usum damnabant, de hoc dogmate ab Imperatoribus se instructos confessi. Post concilium persecutio Copronimi in catholicos multùm sæviebat, præcipuè in monachos: inter quos sanctus Stephanus longo et cruentissimo martyrio coronabatur *(ib. n.* 69 *ad* 74 *).*

§ XIX. Tandem anno septingentesimo octogesimo Imperium regente Irene pro filio suo, qui minor erat ætate, catholici quiescebant; et post paucos annos, nempè octogesimo septimo, operâ Tarasii constantinopolitani patriarchæ concilium œcumenicum Nicæense secundum habitum fuit. In eo novus iconoclastarum error damnatus est, et efficaciter propugnata antiqua traditio, secundùm quam in locis sacris cultus et veneratio tribuitur figuræ crucis, et sanctorum reliquiis et imaginibus. Imaginibus nempè Iesu-Christi, et eius Matris sanctissimæ: etiam Angelorum, qui licèt incorporei sint, sub specie tamen hominis sæpè apparuerunt; atque Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, et aliorum sanctorum. Istæ enim imagines eorum, quos repræsentant, recordationem excitant, et ad ipsorum sanctitatem imitandam, et par-

ticipandam nos ducunt. Et cùm iconoclastæ non aliam imaginem adorandam contenderent nisi Eucharistiam; reponebant Patres, hanc non esse meram imaginem, sed idem corpus et eundem sanguinem Christi : hoc est non esse imaginem sicut cæteræ sunt, de quorum cultu disputabatur, sed ita esse figuram, signum, sacramentum, aut imaginem, ut simul idem corpus idemque sanguis in figurâ seu imagine contineatur. In eodem concilio viginti duo canones de moribus et disciplinâ sanciebantur *(ib. 75 ad 82)*.

§ XX. Huius concilii acta cùm romanus Pontifex ad Carolum Magnum misisset, et iste ab episcopis Franciæ examinari iussisset, acriter impugnata fuere : tum quòd illi episcopi, quamvis in ecclesiis Galliæ viderent imagines, eis cultum non dari sibi persuadere volebant; cùm maximè quoniam à Græcis latriæ cultum, seu eundem qui Deo debetur imaginibus concedi, falsò existimabant. Hinc nomine Imperatoris eos libros ediderunt, qui *Carolini* vocantur : in quibus sicut iconoclastas, etiam concilium Nicæense secundum damnant et impugnant, contendentes imagines servandas esse ad instructionem, non verò colendas. Eandem opinationem duo concilia Francofordiense et Parisiense firmiter tuebantur : et papa Adrianus summâ modestiâ et magnâ doctrinæ copiâ libros Carolinos impugnabat; inter alia adnimadvertens duodecim selectos Franciæ episcopos concilio Romano anno septingentesimo sexagesimo nono habito interfuisse, in quo sanctas imagines venerandas esse declaratum fuit *(ib. n. 83 et 84)*.

§ XXI. Circa annum octingentesimum quartum decimum imperator Leo Armenus sanctum patriarcham Nicephorum aliosque episcopos catholicos dirè vexabat, ut cum iconoclastis convenirent : imagines iterum destruebantur, earum pictores gravissimè multabantur, et plures episcopi et monachi illustres martyrio coronati sunt. Tunc Theodorus Studita, monachus scientiâ et fidei zelo venerandus, plures epistolas ad catholicos in fide firmandos scribebat, in quibus erga Romanam sedem obsequentissimum se profitebatur. Tepescebat persecutio

ab anno octingentesimo vigesimo; et post alios viginti circiter annos, imperante Theodorâ, ad sedem Constantinopolitanam sanctus Methodius evectus est, et imaginum cultus restitutus. Festum *Ortodoxiæ*, quod etiam nunc agunt græci, tunc temporis instituebatur, in memoriam extinctæ iconoclastarum hæresis, quæ nunquam ampliùs in Oriente serpere potuit (*ib. n.* 85 *ad* 88).

CAPUT III.

De schismate Orientali.

Photius intrusus Constantinopoli : Ignatius depulsus 1. *Romanus Pontifex hæc omnia improbat et convellit* 2. *Photius suam sedem extollit : latinos accusat* 3, *qui vindicantur* 4. *Concilium œcumenicum octavum : græcorum æmulatio : Bulgaria* 5. *Photius restitutus : eius concilium* 6. *Photius triumphat : iterum deiicitur* 7. *Michaël Cærularius : schisma altè radices agit* 8.

§ I. NONDUM orientalis ecclesia post tot hæresis mala convaluerat, cùm novâ pestilentissimâ tabe inficiebatur, infausto nempè schismate, quo magna illius ecclesiæ pars post tot sæcula ab unitatis Ecclesiæ centro infeliciter divulsa est. Photius, sapiens quidem sed intrepidus vir, in Constantinopolitanum patriarchatum anno octingentesimo quinquagesimo octavo se intrudit : legatos sancti Nicolai romani Pontificis seducit, et ad suas partes trahit; atque verum patriarcham sanctum Ignatium depositionis sententiâ mulctare attentat (*Lib. IX n.* 89 *ad* 91).

§ II. Sanctus Nicolaus legatorum suorum scandalum

reparare conatus, plurium provinciarum concilium Romæ congregat: quæ Constantinopoli à Photio et sociis gesta fuerant accuratè examinat, et irrita ac nulla declarat. Photium à sede Constantinopolitanâ protinùs recedere iubet, et ab omni clericali officio deponit: Ignatium verò et eius innocentiam efficaciter tuetur. Interea Photii artibus præoccupatus Imperator constantinopolitanus exilio, carcere, diversisque tormentis dirè vexabat omnes clericos, monachos et laicos, qui cum Photio communicare, et ipsum ut legitimum patriarcham habere renuebant. Imò Photius audacior in dies factus, œcumenici concilii simulacrum effingens, ipsum sanctum Nicolaum ab episcopatu deponere contendebat (*ib. n.* 92 *et* 93).

§ III. Versutus Photius, ut græcas ecclesias à Romanâ cæterisque latinis dissociaret, multa moliebatur. Ecclesiæ primatum à Româ antiquâ ad novam seu Constantinopolim cum Imperio translatum fuisse propugnabat; et inde episcopum constantinopolitanum romano Pontifici nullatenùs subiectum esse, ipsi iure et honore adminùs æqualem, et græcas seu orientales ecclesias eodem iure, quo Romanus occidentales, præsidere colligebat. Latinos etiam accusabat quòd sabbato ieiunarent, quòd sacerdotes matrimonio prohiberent, quòd Spiritum Sanctum à Filio procedere affirmarent, et præcipuè quòd vocabulum *Filioque* symbolo addidissent (*ib. n.* 93 *et* 94).

§ IV. Pro latinis iam tunc scribebant Æneas Parisiensis episcopus, et monachus Ratramnus, clarequè demonstrabant *processionem* Spiritûs Sancti à Filio dogma esse certum, et additionem vocabuli *Filioque* opportunam fuisse, antiquam, et à nullo adhuc improbatam: disciplinam circa ieiunia, matrimonium et alia, variam semper in diversis ecclesiis absque pacis damno fuisse; et summo contemptu dignum esse primatum Ecclesiæ ab unâ ad aliam urbem cum temporali Imperio transferri contendere, quasi primatus Ecclesiæ Romano episcopo ab Imperatoribus datus esset; præcipuè cùm potestas spiritualis et temporalis omninò distinctæ sint, inconnexæ, et ab invicem solutæ: et insuper episcopus

Constantinopolitanus, etiam post divisum Imperium in occidentale et orientale, imò etiam post extinctum occidentale, Romano episcopo inferior, et ipsi subditus constantissimè habitus sit *(ib. 94)*.

§ V. Anno octingentesimo sexagesimo septimo à novo imperatore Basilio Macedone Photius in exilium mittebatur, et sanctus Ignatius cum magno fidelium gaudio ad sedem suam redibat. Adriano papâ secundo legatos mittente, octavum concilium œcumenicum Constantinopoli post biennium celebrabatur, in quo damnabatur Photius, et nonnulli canones edebantur. Nihilominùs Photii artibus græcorum cum latinis æmulationem multùm iam tunc increbruisse visum est; tum quòd formulam à Papâ missam, cui anno quingentesimo decimo nono facilè græci subscripserant, nunc iuribus ecclesiæ orientalis adversam conclamarent; tum etiam quòd novam Bulgarorum ecclesiam Constantinopolitanæ subiici, non tam rationum pondere, quàm Imperialis potestatis vi contenderent. Quibus discordiæ seminibus novum additum est, quòd Imperator et sanctus Ignatius à romano Pontifice tres gratias peterent, in quibus illius supra totius Ecclesiæ leges potestatem agnoscebant; et tamen Pontifex nullam concessit. Sancto Ignatio Constantinopolitanam sedem secundò gubernante, Ruthenorum natio, una ex immanioribus scythicis, miraculo viso christianam fidem amplectebatur *(ib. n. 95 ad* 101 *)*.

§ VI. Interea Photius è loco exilii Imperatori et episcopis amicis frequenter scribebat, et de sententiâ, qua damnatus fuerat à concilio, valdè conquerebatur. Et tandem imperatorem Basilium ab antiquissimo Armeniæ Rege originem trahere mirâ arte commentus, ipsi reconciliabatur. Hinc paulò post decedente sancto Ignatio, ei sedes Constantinopolitana reposita fuit, probante etiam Ioanne papâ octavo, et concilio Romano anni octingentesimi septuagesimi noni, quibusdam additis conditionibus, quæ servatæ non fuerunt. Vix refectus fuit arrogans Photius, frequentissimum concilium Constantinopoli vocabat, cui legati romani Pontificis intererant, et episcoporum numerus multò maior quàm in octavo concilio

œcumenico ante decem annos celebrato. In eo tum legatos pontificios, tum concilii Patres dolis et arte dirigens Photius prout ipse volebat, anterius concilium œcumenicum damnari fecit, atque æternæ discordiæ græcos inter et latinos semina spargi (*ib. n.* 102 *ad* 107).

§ VII. Huic conciliabulo præsedit Photius, non legati pontificii; et Constantinopolitano patriarchæ non æqualis quidem honor ac Romano concedebatur, sed maior. Ita de romano Pontifice triumphare videbatur Photius coram legatis ipsius. Legatorum tamen agendi ratio Romæ improbata fuit, et Photius iterum damnatus: qui tandem, imperante Leone Philosopho, rursùs suâ sede deturbabatur, et romanus Pontifex depositionem perpetuam fore sancibat. Ita funesti schismatis auctor depositione mulctatus vitam finibat, magni ingenii præclara monumenta relinquens, præcipuè *Bibliothecam*, et *Nomocanonem* (*ib.* 108 *et* 109).

§ VIII. Mortuo Photio orientalis ecclesia cum Romanâ communicabat, licèt parùm esset inter utramque commercii, atque in dies decrescentis. Circa dimidium verò sæculi undecimi Michaël Cærularius patriarcha Constantinopolitanus schisma novo odio instaurabat, et romani Pontificis legatos atque sententiam contemnebat; illi orientalem ecclesiam minimè subiici, et episcopum Constantinopolis Romano parem, aut eo superiorem esse acriter contendens. Antiquas etiam de vocabulo *Filioque*, aliasque in latinos querimonias renovabat, novas effingebat, præsertim verò usum panis azymi in Missæ sacrificio impugnabat. In omnibus suis scriptis Michaël romanos eo potissimùm reprehendebat, quòd neque instrui, neque corrigi vellent, sed solùm nomine Pontificis corrigere et instruere. Ut facilè colligas præcipuam schismatis radicem illud esse Constantinopolitanorum præiudicium, quo ecclesiam suam nulli secundam sed omnium primam fore contendebant. Post Cærularium latè per totum Orientem grassabatur ad schisma proclivitas, et contra ecclesiam Romanam immane odium (*ib.* 110 *n. ad* 116).

CAPUT IV.

Synopsis historica sæculi septimi à morte sancti Gregorii Magni.

Romani Pontifices 1. *Martinus* 2, *Vitalianus et Agathon. Tristissima Italiæ facies* 3: *Orientis verò tristior : Patriarchæ insignes* 4. *Canones trullani* 5 : *non probantur à Romano Pontifice* 6. *Britanniæ fides, episcopi, schola* 7. *Vilfridus de die Paschatis* 8. *Franciæ concilia : episcopi aulici et sancti* 9. *Felix in Hispaniâ concordia* 10 : *celeberrima concilia* 11 : *ut Toletanum quartum* 12 : *decimum, in quo et de Potamio atque Recimiro* 13 : *duodecimum, in quo de rege Vamba* 14 : *quartum decimum admittit concilium Constantinopolitanum tertium* 15 : *quintum decimum vindicat* Apologeticum *S. Iuliani* 16. *Isidorus Hispalensis* 17 : *et alii illustres episcopi* 18. Forum iudicum. *Alii libri sæculi septimi* 19.

§ I. HACTENUS vidimus Ecclesiam ab externis inimicis ætate tertiâ dirè vexatam. Videamus nunc quomodò etiam interiùs ignorantiâ et vitiis agitata et oppressa sit : semper tamen præ oculis habeamus, neque dogmatum Ecclesiæ sublimitatem ignorantiâ offuscatam fuisse, neque vitiis sanctitatem legum et doctrinam ipsius. A sancto Gregorio Magno ad Innocentium tertium continua romanorum Pontificum descendit series nec unquam interrupta, quemadmodum etiam in duabus præcedentibus ætatibus observatum est. Nunc eorum, qui sæculo septimo Ecclesiam gubernarunt, nomina saltem indicemus. Anno sæculi quarto Gregorio successit Sabinianus, qui apud Im-

peratorem constantinopolitanum fuerat legatus seu apocrisarius sicut ipse Gregorius, et Bonifacius tertius Sabiniani successor. Neque mirandum est eos qui nuntii, legati seu apocrisarii pontificii Constantinopoli fuerant, ad romanum Pontificatum facillimè assumi; nam clerus romanus Pontificem eligere Imperatori constantinopolitano, qui tunc eam electionem confirmabat, acceptum maximè conabatur: necnon quia ea legatio non nisi probatissimis et magni nominis viris committi solebat. Bonifacio tertio quartus eiusdem nominis subrogabatur, qui in concilio declarabat monachos sacerdotes quidem esse posse, et si fuerint, pœnitentiæ sacramentum ministrare. Anno sæculi quinto decimo eligebatur sanctus Deusdedit: post quadriennium Bonifacius quintus, et anno vigesimo quinto Honorius *(Lib. X n. 1 et 2).*

§ II. Hic Pontifex in causâ monothelitarum nimis famosus Scotos reprehendebat, quòd eâdem die quartâ decimâ lunæ, si illa et dominica dies unà convenirent, Pascha celebrarent; et ad schisma *Trium capitulorum* extinguendum laborabat. In Honorii locum eligebatur Severinus: cuius electionem imperator Heraclius sancire nolebat, quin electus ante omnia *Ecthesim* approbaret. Inde longum interregnum fuit; et tandem consecratus Severinus *Ecthesim* protinùs damnabat, et ante completos duos pontificatûs menses moriebatur. Tunc anno sæculi quadragesimo electus fuit Ioannes quartus: post biennium Theodorus; et anno quadragesimo nono sanctus Martinus. Honorii successores omnes contra monothelitas magno zelo pugnarunt; et quantum hac de causâ passus fuerit sanctus Martinus antea indicavimus. Martino in exilium pulso, sanctus Eugenius regendæ Ecclesiæ curam suscipiebat, eique mortuo succedebat. Eugenius, sanctitate morum et munificentiâ in pauperes omnibus charus, anno quinquagesimo septimo obibat, et in eius locum sanctus Vitalianus ascendebat *(ib. n. 3).*

§ III. Hic Pontifex Constantem imperatorem Orientis Romam accedentem, licèt hæreticum, magnâ pompâ et obsequio, ut Ecclesiæ redderet benevolum, recipiebat. In eius locum anno septuagesimo secundo succedebat

Adeodatus; quem abbas monasterii Turonensis sancti Martini enixè deprecabatur, ut privilegium, quo ipse archiepiscopus illud monasterium à iurisdictione episcopali exemerat, confirmaret, et ratum haberet. Pontifex abbatis precibus indulsit, id ægrè se facere testatus, quoniam ecclesia Romana ab episcoporum directione monasteria subtrahere non solebat. Adeodatus annis quatuor: Donus anno et aliquot mensibus; et sanctus Agatho tribus annis cum dimidio Ecclesiam gubernarunt. Sub Agathone verò monothelismus in concilio Constantinopolitano tertio damnabatur, ut capite præcedenti diximus. Tunc Constantinus Pogonatus romanos Pontifices post electionem subitò consecrari permittebat, quin Imperatoris decretum electionem confirmans expectarent. Agathoni subrogabatur anno octogesimo secundo sanctus Leo secundus, vir dissertus, Divinarum scripturarum peritus, græcè et latinè doctus, qui concilium Constantinopolitanum tertium confirmavit, latinè reddidit, et ad Regem et episcopos Hispaniæ misit. Leo, et eius successor sanctus Benedictus, decem tantùm mensibus in pontificatu vixerunt: Ioannes quintus anno uno, et Conon mensibus undecim. Sanctus verò Sergius primus anno sæculi octogesimo septimo electus, post tredecim integros annos primo sæculi octavi moriebatur. Aquileiensem ecclesiam Romanæ reconciliaverat, et Istriæ schisma ex quæstione *de tribus capitulis* ortum omninò extinxerat: atque Trullanos canones approbare constanter renuit, ut mox dicemus. Ecclesia in Italiâ toto sæculo septimo multùm vexabatur, tum à Longobardis arianis, qui in universis ditionis suæ urbibus episcopum hæreticum præter antiquum catholicum constituebant; tum etiam à Ravennæ *exarchis,* qui nomine Imperatoris constantinopolitani in Italiâ imperantes, in electiones romani Pontificis aliaque Ecclesiæ negotia, nimis se ingerebant *(ib. 4 ad 6).*

§ IV. At longè maiores erant in ecclesiâ orientali strages, tam à mahometanis, quàm à monothelitis et cæteris omnibus hæreticis, qui in mahometanorum regionibus eorum protectionem facilè consequebantur contra catholicos, quos Imperatori constantinopolitano ad-

dictos mahometani censebant. Non defuere tamen inter patriarchas orientales, qui magnâ sapientiâ et ardenti charitate pro Ecclesiâ laborarent. Ex quibus singulari recordatione digni sunt Sophronius Ierosolymitanus, cuius zelum contra monothelitas antea vidimus; et sanctus Ioannes patriarcha Alexandrinus cognomento *Eleemosynarius*, ob prudentiam et generositatem in sublevandis pauperibus, et fortè magis ob zelum servandæ fidei et ecclesiasticæ disciplinæ, atque conversionis hæreticorum et peccatorum, iure laudandus *(ib. n. 7 ad 9)*.

§ V. Anno sexcentesimo nonagesimo secundo totius Orientis generale concilium Constantinopoli celebratum est, quod aut *Trullanum* à loco conventûs, aut *Quinisextum* vocatum fuit, quasi quinti et sexti generalium conciliorum supplementum. Cùm enim in istis nulli canones editi fuissent, opportunum iudicatum est novo concilio hunc defectum supplere, et centum et duobus canonibus quasi integrum disciplinæ ecclesiasticæ corpus effectum est, quod in orientali ecclesiâ etiam nunc viget *(ib. n.* 10 *ad* 16 *)*.

§ VI. Multa sunt in his canonibus præclarè constituta: at sunt quidam etiam canones, qui iam tunc vigentem græcorum cum latinis iniustam æmulationem apertè produnt. Sic canone tertio decimo morem ecclesiæ Romanæ, presbyteros et diaconos usu matrimonii prohibentis, reprobant et damnant; et canone quinquagesimo quinto Romanam ecclesiam ab antiquo more ieiunandi die sabbati cessare iubent. Quare quamvis Imperator Sergium romanum Pontificem etiam vi compellere voluit, ut illi concilio subscriberet; Sergius tamen constanter et iure renuit. ¿Qui enim poterat romanus Pontifex audaciam probare, qua orientales episcopi non solùm Constantinopolitanam ecclesiam à Romanâ omninò non pendere, sed hanc etiam illius canonibus subiici, et peculiares græcorum mores, propriis antiquissimis abolitis, assumere contendebant? *(ib. n.* 17 *)*.

§ VII. Sed iam ad occidentalem seu latinam ecclesiam revertamur. Africana, quæ circa dimidium sæculi septimi catholicam fidem contra monothelitas strenuè

defendebat, ante finem sæculi iam in potestatem musulmanorum tota ceciderat: unde lamentabilis celeberrimæ illius ecclesiæ ruina consecuta est. Dum autem Evangelii lux in regionibus orientalibus et meridianis offuscari aut extingui videbatur, in borealibus idololatriæ tenebras in dies vehementiùs dissipabat. In Britanniâ maiori fides christiana quæ Britannis, Pictis et Scotis antiqua erat, et apud Anglosaxones recens introducta, per *Heptarchiam*, seu Anglorum septem regna feliciter sæculo septimo propagabatur. Post insignem sanctum Augustinum huius gentis apostolum, in eius conversione magno zelo et fructu laborabant tres Cantuarienses episcopi, Laurentius, Meliton, et Honorius: Paulinus Eboracensis, Birinus Dorcestriensis, et præcipuè sancti Theodorus, Benedictus Biscopus, Ceadda, et Vilfridus. Theodorus natione græcus, iubente Vitaliano romano Pontifice, Angliam seu Britanniam navigaverat cum Adriano Africano. Erant ambo litteris græcis et latinis, scientiisque Divinis et humanis valdè eruditi, atque ab ipsis percelebris Britanniæ schola initium sumpsit *(ib. n.* 17 *ad* 19*)*.

§ VIII. Vilfridus monachus cùm Romæ triennio permaneret, et ab archidiacono præcipuè instrueretur, in scientiâ Scripturarum et disciplinæ ecclesiasticæ multùm profecit. Inde Britanniam reversus, Regi fuit acceptissimus; eiusque protectione aut iussu celebrem cum Pictis et Britannis de die Paschatis collationem habuit. Antiqui enim Britanniæ christiani, morem Scotorum sequentes, ipsâ die quartâ decimâ lunæ Pascha celebrabant, quoties illa et dominica conveniebant. Vilfridus autem apertè demonstrabat hunc morem neque à sancto Ioanne desumi posse, qui semper ipsâ lunâ quartâ decimâ etiam extra diem dominicam cum iudæis Pascha celebrabat; neque à sancto Petro illud semper quidem die dominicâ celebrante, ita tamen ut ante vesperam ipsius lunæ quartæ decimæ Pascha nunquam inciperet. Rursùs Vilfridus sancti Petri excellentiam mirè extollebat: unde iussit Rex celebrari Pascha more romano. Paulò post regio principe procurante, episcopus Eboracensis consecrabatur Vilfridus, dum Regis iussu eidem ecclesiæ sanc-

tus Ceadda præficiebatur: qui cùm inde ad Merciorum episcopatum transferretur, prædictam ecclesiam Vilfridus sanctissimè rexit. Tunc verò sanctus Theodorus Cantuariensis episcopus Eboracensem diœcesim in tres divisit, et Vilfridum deposuit. Hæc autem depositio bis Romæ, etiam diuturno concilio causâ examinatâ, irrita habebatur, et Vilfridum restitui strictè præcipiebatur: cui sententiæ Britanni obtemperare recusabant. Tandem verò in ipsâ Britanniâ magno quoque concilio ad hoc negotium convocato, Vilfrido duo monasteria cum suis redditibus committebantur; quare ipse ius suum sponte remittebat (*ib. n.* 20 *et* 21).

§ IX. Eodem sæculo septimo apud diversas nationes idololatras Germaniæ ad ripas Rheni fides christiana seminabatur, itemque in Frisiâ, quam nunc Hollandiam appellamus. Ministrorum evangelicorum in regiones idololatras missionem maximè tunc protegebant Reges Franciæ seu Galliæ transalpinæ: ubi, cùm ineunte sæculo septimo unico Regi tota subiiceretur, patrium concilium anno sexcentesimo quarto decimo Parisiis celebratum est, in quo octoginta episcopi conveniebant; et sicut in aliis eiusdem sæculi, de episcoporum electione, de vitandis matrimoniis cognatorum virginumque Deo consecratarum, ac de cohibendâ bonorum Ecclesiæ usurpatione agebatur. Postea verò Franciæ regno in tria, nempè Austrasiæ, Burgundiæ et Neustriæ, ferè semper diviso, frequentia erant bella quasi intestina, populorum commotiones ac regnorum turbationes, in quibus plures episcopi, ut regni optimates, magnas partes egerunt. Nihilominùs etiam ex illis, ut ita dicam, aulicis episcopis plures tamquam sancti cultu honorati sunt, sicut Leodegarius Augustodunensis, Eligius Noviodunensis, et Audoënus Rothomagensis. Sanctæ etiam habitæ sunt Batildis quæ è servili conditione ad Reginæ dignitatem evecta fuit, et Gertrudis è Brabantiâ (*ib. n.* 22 *ad* 29).

§ X. Præ cæteris autem nationalibus ecclesiis multùm sæculo septimo præfulgebat Hispana, tum zelo tuendæ fidei catholicæ, quo Reges ardebant; tum singulari scientiâ et sanctitate, quibus episcopi populos illustra-

bant; tum conciliorum frequentiâ et decretorum seu canonum gravi pondere et utilitate; necnon constanti ac perfectâ pace, qua ministri Ecclesiæ cum sæculi Principibus sæpè in unum coacti, non tantùm Ecclesiæ sed etiam reipublicæ bono concordes consulebant. Ex qua felici concordiâ dubium natum est, an nempè conventus illi non solùm ut Ecclesiæ concilia, sed etiam ut Regni comitia haberi debeant. Non solùm enim episcopi, sed Rex ipse et aliqui regni magnates illis assidere solebant, et actis eorum subscribere; neque res tantùm Ecclesiæ sed negotia quoque gravissima reipublicæ tractabantur: in quibus episcoporum suffragia singulare pondus habebant, quoniam primores Regni, ut proceres laici, et istis sapientiores habebantur. Hispana sæculi septimi concilia aut gentilitia seu nationalia fuere, aut provincialia: illa Regis iussu, ista licentiâ convocabantur: utraque confirmare solebat Rex, et edicto publico decretorum executionem præcipere, et contra inobedientes pœnas sancire. Atque ita Rex ut Ecclesiæ protector in Ecclesiæ negotiis efficaciter agebat *(ib. n. 30)*.

§ XI. Prius sæculi septimi concilium hispanum fuit Toletanum anni sexcentesimi decimi, in quo Toletanus episcopus ut metropolita acceptus est ab omnibus carpetanis et carthaginensibus adstantibus: et regio item decreto declaratum fuit, Carpetaniam non esse alteram à carthaginensi provinciam, sed eius partem, totamque Toletano episcopo ut metropolitæ subesse. Atque ita extinguebatur antiqua controversia inde exorta quòd pars provinciæ carthaginensis maritima Imperatori antea subiecta esset, dum mediterranea seu Carpetania pars ad regnum Gothorum Hispaniæ iam pertinebat. Anno sæculi duodecimo concilium Egarense in Cathaloniâ agebatur; et post septennium Hispalense, cui sanctus Isidorus præsidebat, et in quo multa opportunè statuebantur *(ib. n. 31)*.

§ XII. Anno trigesimo tertio celebratum fuit Toletanum, quod dicitur quartum: patrium seu nationale fuit, et septuaginta quinque gravissimos canones edebat; quorum memorare sufficiat quartum, qui celebrandorum conciliorum methodum præscribit, et ultimum in quo de obe-

dientiâ Regi debitâ agitur; et aliqua disponuntur quæ, attentè examinata, iusta et opportuna deprehendentur. Anno trigesimo sexto concilium Toletanum quintum habitum est, et post biennium Toletanum sextum quod nationale erat. Huius canone tertio Regem patres laudant, quòd in regno suo neminem degere sinat qui catholicus non sit. Deinde non sine sponte Regis et consentientibus regni magnatibus decernunt, à Rege in posterum permitti non posse, ut fidem catholicam abiiciant qui eam semel professi fuissent. Concilii tempore pervenit epistola romani Pontificis ad episcopos Hispaniæ, in qua eos reprehendebat præcipuè quòd cum peccatoribus nimis indulgenter agerent. Calumnias dissolvendas patres commiserunt sancto Braulio Cæsaraugustano; qui episcopos hispanos magnâ vi et modestiâ vindicat, atque prudentem esse indulgentiam, quam erga peccatores exercèbant, apertè demonstrat *(ib. n.* 32 *ad* 42 *).*

§ XIII. Toletanum septimum congregatum fuit anno sæculi quadragesimo: quinquagesimo tertio octavum: nonum biennio post, et anno sequenti decimum. In hoc autem præter canones observanda sunt duo decreta, quibus de Potamio archiepiscopo Bracarensi, et de testamento Recimiri Dumiensis agitur. Potamius Bracarensis episcopus gravi carnali peccato se pollutum fuisse scripto primùm se coram concilio accusavit, et deinde verbo et iuramento se sponte ac verè ea mala de se confiteri clamavit; addens iam à novem mensibus regimen ecclesiæ suæ deseruisse, pro admisso flagitio pœnitentiam acturus. Concilium ei episcopatûs honorem ob humilem confessionem concessit: perpetuæ tamen pœnitentiæ eum subiecit, et ecclesiæ Bracarensis atque totius provinciæ Gallæciæ curam Fructuoso Dumiensi episcopo commisit. Recimirus moriens omnia bona sua et plura etiam ecclesiæ pauperibus distribui, et quamplurimis ecclesiæ servis libertatem dari testamento iusserat. Unde ecclesiæ ac proinde etiam pauperibus in posterum notabile damnum inferebatur: neque extraordinaria tunc fuerat calamitas, quæ extraordinariam illam elargitionem cohonestare posset. Itaque concilium iubet bona immobilia Recimiri

propria retineri, donec eorum proventibus ecclesiæ compensetur damnum, ob eius mobilia Recimiri iussu data pauperibus irrogatum. Hac autem compensatione factâ, ea bona vendantur, et pretium inter pauperes distribuatur ex Recimiri testamento. De libertate verò servis concessâ, et bonis ecclesiæ ipsis aut aliis datis, omnia prudentiæ Fructuosi episcopi, qui Reciniro successerat, disponenda commisit, ut secundùm merita servientium libertatis præmia et dona concedat *(ib. 43 ad 47)*.

§ XIV. Anno sæculi sexagesimo sexto Emeritense provinciale concilium congregabatur, et septuagesimo quinto Toletanum undecimum, et Bracarense. Postea annis octogesimo primo et tertio Toletana duodecimum et tertium decimum, ambo nationalia; et in eis de abdicatione regni à rege Vamba, et negotiis eam consequentibus præcipuè agebatur. Utrumque congregabat Ervigius in locum Vambæ Rex consecratus; moxque duodecimum, ut concilii declaratione seu decreto in regno confirmaretur. Concilium tria documenta examinat, nempè testimonium seniorum palatii, asserentium Vambam in infirmitate religiosum habitum et tonsuram sacram suscepisse. Item scriptum ipsius Vambæ, in quo Ervigium sibi in regno succedere peroptabat. Et tertiò testimonium, manu quoque ipsius Vambæ subscriptum, in quo constabat ipsum Iuliano Toletano episcopo iniunxisse, ut omni diligentiâ Ervigium successorem Vambæ consecraret. Quorum vi concilium declarabat Ervigii consecrationem fuisse legitimam, ipsique et non alii ut Regi ab omnibus esse fideliter parendum, liberumque esse hispanum populum à iuramento quo Vambæ antea alligatus fuerat *(ib. n. 48 ad 54)*.

§ XV. Vix post concilium tertium decimum ad sua reversi fuerant patres, cùm ad Hispaniam perveniebant nonnullæ sancti Leonis papæ secundi epistolæ, quibus episcopos Hispaniæ, qui concilio Constantinopolitano tertio seu œcumenico sexto non interfuerant, eius decretis subscribere vehementer hortabatur. Tunc Toletanus episcopus sanctus Iulianus romano Pontifici respondit, ad rem tanti momenti protinùs convocatum iri concilium;

et interea *Apologeticum* mittebat, seu scriptum in quo decreta sive definitiones concilii sexti venerabatur, et oppositos monothelitarum et apollinaristarum errores impugnabat. Deinde congregato anno octogesimo quarto concilio Toletano quarto decimo, Constantinopolitanum tertium quatuor prioribus œcumenicis in doctrinâ omninò consonum declaratum fuit, atque *Apologeticum* sancti Iuliani probatum, et ut tamquam *epistola decretalis* haberetur iussum fuit *(ib. n.* 55 *)*.

§ XVI. Post biennium romanus Pontifex Benedictus secundus hispanos episcopos monebat duas *Apologetici* propositiones, ut fidei parùm consonas Romæ malè audire. Contra quam romanorum accusationem et in defensionem prioris Apologetici, secundum scribebat sanctus Iulianus; atque ad tam grave negotium concilium nationale Toletanum quintum decimum anno octogesimo octavo præcipuè coibat. Concilium, re maturè perpensâ, secundum Apologeticum sancti Iuliani in omnibus probavit, censuram Romanorum ut iniustam contemnendam censuit; et addidit, si romani doctrinam à maioribus susceptam malè habere pergerent, hispanos nihilominùs eam propugnaturos, licèt ab ignorantibus indociles haberentur. Hæc concilii responsio Romæ cum plausu suscepta fuit. Labente sæculo septimo etiam celebrata sunt, anno nonagesimo primo concilium Cæsaraugustanum; nonagesimo tertio et quarto Toletanum sextum decimum et decimum septimum, et postea anno septingentesimo primo decimum octavum: illorum trium canones extant; non autem postremi, tempore Vitissæ celebrati, et immeritò reprehensi *(ib. n.* 56 *ad* 60 *)*.

§ XVII. Conciliorum frequentia et multitudo, gravitas ac prudentia canonum apertè produnt magnam fuisse sæculo septimo sanctorum et sapientum episcoporum copiam in Hispaniâ. In unicâ Carthaginensi familiâ tres fratres, Leandrum antea laudatum, Fulgentium Astigitanum, et Isidorum Hispalensem præfulgens Hispanæ ecclesiæ lumen, invenimus. Isidorus, non modò mirabili zelo quo fidei et morum puritati invigilabat, et prudentiâ qua concilia præcipuè Toletanum quartum dirigebat;

sed scriptis etiam, quorum aliqua sanctæ Florentinæ sorori suæ dicabat, immortale sibi nomen comparavit. In libro *De officiis ecclesiasticis* plures antiquissimas Ecclesiæ consuetudines memoratas legimus, quæ his posterioribus sæculis ut recens inductæ sæpè notatæ sunt; et in eodem cæterisque Isidori libris ferè omnium catholicorum dogmatum traditionem continuatam habemus: inter quæ singulari observatione digna sunt quæ de auctoritate dicit romani Pontificis, et de varietate ecclesiarum græcæ et latinæ circa usum panis fermentati aut azymi, et circa corporalia serica aut linea (*ib. n.* 61 *ad* 63).

§ XVIII. Toletanam ecclesiam plures magni episcopi eodem sæculo illustrarunt; præcipuè Aurasius, et sancti Heladius, Iustus, Eugenius, Ildephonsus cuius duæ cœlestes visiones memorantur, et Iulianus. Trium posteriorum varia scripta etiam nunc extant. Cæsaraugustana ecclesia Braulii et Taionis præclaris gestis et scriptis gloriabatur. Mentessanâ Cæcilii voluntariam episcopatûs abdicationem, ut vitam solitariam et pœnitentem ageret, tamquam rem tunc temporis novam mirabatur. Dumiensis ecclesia, imò tota Bracarensis provincia, Fructuosi monasteria fundantis et dirigentis, scriptis, verbis, et operibus valdè proficiebat; et ita ferè omnes hispanæ ecclesiæ aliquos singulari sanctitate et doctrinâ illustres episcopos sæculo septimo habuerunt (*ib. n.* 64 *ad* 71).

§ XIX. Ut faustus nostræ ecclesiæ eo tempore status ampliùs dignoscatur, opportunum erit nonnulla hìc addere de legum civilium codice hispano gothico, qui *Forum Iudicum* appellari solet. In eo servandæ fidei catholicæ ab omni errore puræ ardens zelus deprehenditur: civilium legum sanctione eos coercendos esse, qui errorem inducere aut renovare conentur, apertè declaratur: non hispanis modò sed exteris quibusque viris, sive in Hispaniâ manentibus, sive per eam solùm transeuntibus, strictissimè prohibetur fidem catholicam in aliquo dogmate impugnare, aut de eâ quæstiones publicè vel privatim movere: sicut etiam apostolicas institutiones, et Patrum decreta ad fidem pertinentia contemnere. In huiusmodi verò legum infractores omnis honoris

ac muneris privatio, bonorum confiscatio, et perpetuum exilium sanciuntur. Plures leges sunt, quæ singularem erga episcopos venerationem præ se ferunt, dierum festorum observantiam præcipiunt, bonorum Ecclesiæ alienationem prohibent, et locis sacris asyli privilegium concedunt. Etiam attentè observari debent quæ de cleri continentiâ, de matrimonio, ac præcipuè de coniugatorum divortio tractant. Et hæc de Hispaniâ sæculo septimo. Huius verò sæculi, præter ea quæ obiter indicavimus, plura Orientis et Occidentis scripta supersunt; quorum memorare sufficiat *Pratum spirituale* Moschi, Anastasii Synaitæ *Hodegos*, Antiochi monachi *Sacræ Scripturæ Pandectas* seu morale compendium, et Marculfi *Formulas (ib. 72 ad 75)*.

CAPUT V.

Synopsis sæculi octavi.

Romani Pontifices : Italia 1 : *Longobardi* 2 : *eos Pipinus vincit, et multa dat ecclesiæ Romanæ* 3 : *Concilium Romanum: Carolus Magnus Romæ* 4. *Orientalis ecclesia : martyres* 5. *Hispania ab arabibus oppressa* 6. *In montibus Asturum renascitur monarchia* 7. *Hispaniæ martyres* 8. *Error de* filiatione *adoptivâ* 9. *Pipinus rex Franciæ renuntiatus* 10. *Carolus Magnus : Concilia :* Capitularia 11. *Abusus magni. Crodegangus* 12. *Angli peregrinantur Romam. Venerabilis Beda : Concilia* 13. *Fides in Bavariâ et Frisiâ* 14. *Bonifacius legatus Papæ in Germaniâ* 15. *Sancti eius discipuli* 16. *Scriptores. Collectiones Isidorianæ, aprocrypha et genuina* 17.

§ I. Initio sæculi octavi moriebatur sanctus Sergius: post quem Romanam sedem occupabant Ioannes sextus, et septimus, ambo græci: quibus alii duo natione syrii succedebant, Sisinius et Constantinus. Hic Constantinopolim iussu Imperatoris profectus est, et ubique maximo cum honore receptus. In Constantini locum anno sæculi quinto decimo eligebatur sanctus Gregorius secundus, gente romanus, qui in diversis Germaniæ populis adhuc idololatris semen Evangelii spargi magno zelo curabat. Tum imperator Leo Isaurus phrenetico furore in sanctas imagines actus, eas etiam in regionibus occidentalibus sibi subditis destrui iubebat: unde Italiæ populi multùm commovebantur, et in Imperatorem sæpè rebellabant. Seditiosos acriter increpabat Gregorius, et Imperatori mala ex suis inconsultis decretis orta vividè repræsentabat: Leo autem magis in Pontificem furebat: atque ita labentis in Italiâ Imperialis dominii ruinam accelerabat. Etenim Italiæ populi iam diu conquerebantur parum ab Imperatoribus Orientis se protegi contra maurorum ex Africá expeditiones, et contra Longobardos Italiæ magnam partem occupantes. *Exarchæ* etiam Ravennates sæpè populos Imperatori subditos opprimebant potiùs quàm defendebant. Et certè sola Pontificum romanorum et cleri erga Imperatores fidelitas populos in illius obedientiâ continebat. Unde furens Leonis in imagines odium, non minùs sanæ politicæ quàm fidei catholicæ adversabatur *(Lib. X. n.* 76 *et* 77 *).*

§ II. Gregorio secundo tertius eiusdem nominis, gente syrus, magnæ prudentiæ et scientiæ vir, anno trigesimo primo subrogabatur: qui decessoris sui vestigia ab initio pontificatûs secutus, Imperatori quoque constanter et apertè exponebat in quanto periculo suæ res essent in Italiâ; et maximè dolebat rapidos Longobardorum progressus. Horum Rex erat id temporis Luitprandus, vir catholicus et pius: qui tamen plura damna ecclesiis inferebat, quoniam romanus Pontifex, et generatim omnis clerus catholicus, Longobardorum conatibus totius Italiæ occupandæ adversabantur. In hoc

conflictu Gregorius ad Carolum Martellum in Franciâ imperantem confugit, ea auxilia contra Longobardos exorans, quæ frustrà ab Oriente expectaverat. At neque Francia solatur hunc Pontificem: qui moritur anno sæculi quadragesimo primo *(ib. n. 77)*.

§ III. Eius successor sanctus Zacharias, natione græcus, cum rege Longobardorum bis pacem init Imperio utilissimam; et decem integris annis, quibus Ecclesiam gubernavit, magna virtutis, potissimùm verò liberalitatis erga pauperes infirmos, exempla dedit. Baptisma ex ignorantiâ linguæ latinæ ministratum *in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta* ratum declaravit; eiusque extant epistolæ ad sanctum Bonifacium Germaniæ apostolum, et etiam ad episcopos et magnates Franciæ, et alios, in quibus passim ad diversa quæsita respondet. Anno quinquagesimo secundo Romanam sedem ascendebat Stephanus secundus; et non multò post innovato à Longobardis bello in Romanos, et Astolpho eorum rege Urbem occupare volente, Stephanus eum nullâ ratione placare potens, et frustrà etiam Imperatorem de imminenti ipsius Romæ periculo monens, Franciam se contulit auxilium contra Longobardos imploploraturus. Pipinus Franciæ rex Romanam ecclesiam protegere spondet. Et cum nihilominùs Astolphus Romæ vicina oppida destruxisset aut expilasset, Romamque ipsam obsidione cingeret, Stephanus novos legatos ad Pipinum misit; et inter alias raram epistolam nomine sancti Petri Regi scribebat terribilia ei mala comminans, nisi Romæ opem ferre festinaret. Tunc Pipinus Italiam valido cum exercitu proficiscitur: Longobardos subiicit, pluresque civitates et regiones Romanæ ecclesiæ solemniter donat. Stephano anno quinquagesimo septimo sanctus Paulus eius frater subrogatur *(ib. n. 78 ad 81)*.

§ IV. Paulus ecclesiam Romæ urbemque ipsam, ac cæteras suo dominio subditas pacificè prudenterque gubernabat, leves quasdam longobardorum aut græcorum expeditiones Pipini protectione compescebat, et præcedentium bellorum ruinas in ecclesiis et monasteriis re-

parabat. Paulò post decennium mortuo, anno sexagesimo octavo in sedem Pontificiam vacantem armatâ manu quidam se intrudit: legitimè tamen eligebatur non multò post Stephanus tertius; et tunc antipapa avulsis oculis cruenter puniebatur, et magna veræ pœnitentiæ signa dabat. Stephanus anno sequenti concilium Romæ celebrabat, in quo duodecim Franciæ episcopis assidentibus pluribusque Italiæ, imagines et reliquias sanctorum secundum antiquam traditionem colendas esse statuebatur. De rebus ab antipapâ gestis multùm actum est; et episcopos ab eo ordinatos iterum à Pontifice *benedictione sacrandos esse* ut episcopali ministerio, si digni erant, fungerentur, decernebatur: quibus verbis aliqui veram ordinationem seu consecrationem necessariam intelligunt; alii verò non iniuriâ opinantur concilium de solemni benedictione seu reconciliatione tantùm loqui, qua à suspensione absolvendi erant, qui à Pontifice illegitimo adeò evidenter intruso ordinari consenserant. Anno septuagesimo secundo Pontifex eligebatur Adrianus primus: sub cuius pontificatu, qui viginti trium annorum fuit, Romam pluries profectus est illustris rex Franciæ Carolus, cui ob multa præclarè gesta *Magni* cognomentum datum est (*ib. n.* 82 *ad* 85).

§ V. Ecclesiæ status in quatuor patriarchatibus Orientis toto sæculo octavo tristissimus fuit. In Imperio constantinopolitano monothelitarum et iconoclastarum hæreses frequentes cruentissimasque turbas excitarunt; atque Imperii dignitate et potentiâ ruente peribant quoque litterarum studia; et urbium direptiones, homicidia, aliaque scandala erant continua. Inter tot mala felici hæresis iconoclastarum exterminio circa finem sæculi consolabatur Ecclesia, ut vidimus; et patriarchæ sancti Tarasii, nec non sanctorum abbatum Platonis et Theodori virtutes, doctrina, ardensque zelus præfulgebant. In patriarchatibus Antiochiæ, Alexandriæ, et Ierosolymæ duro saracenorum seu musulmanorum imperio ecclesiæ subdebantur; neque christianorum oppressio et insectatio unquam cessabat, frequentesque erant martyres tum ob zelum convertendi aliquos ex mahometanis, tum etiam

prætexta alicuius commercii cum Imperatoribus Constantinopolis. Ex his martyribus Petrum, Damasci metropolitam, et alium Petrum thesaurarium publicum, atque Theophilum Ciliciæ ducem nominasse sufficiat (*ib. n.* 86 *ad* 89).

§ VI. Eodem sæculo ecclesia Hispana mahometanorum irruptione fœdissimè turpata est. Etenim arabes, qui ante finem sæculi septimi totam mediterranei maris oram in Africâ occupantes, à plagis Barbariæ leves quasdam incursiones per Hispaniæ provincias maritimas primò effecerant, octavi initio forti exercitu in eam irruperunt, et mirabili celeritate ferè totam occuparunt. Quidam ex hispanis militibus, duce Teudimero, in quodam provinciæ Carthaginensis angulo arabum impetum ad breve tempus cohibuere. Unde Teudimeri cum hostium duce pactum evasit, quo hispanis libertas et bona, leges etiam gothicæ, et publicus christianæ religionis usus concedebantur (*ib. n.* 90).

§ VII. Validior tamen hispanorum manus, in qua totius peninsulæ spes posita fuit, eorum erat, qui per abruptos et cavernosos scopulos Asturum montium ab initio irruptionis arabum vagabantur : quorum numerus multùm in dies augebatur accedentibus continuè viris generosis, qui durissimum arabum iugum sustinere non potentes, domibus et bonis omnibus derelictis, illuc confugiebant. Fortes illi viri, ut victoribus mauris obsistere possint, Regem constituunt insignem Pelagium. Et cùm renascentem monarchiam protinùs suffocare, innumerosissimis exercitibus Ausebam montem circumdantes, mauri contenderent, è specu *Cobadonga* veluti leones exeuntes pauci hispani vix credibilem victoriam de mauris innumeris reportarunt. Et inde inter fragosos montes novum regnum strictis ac sterilibus terminis contractum toto sæculo octavo radices agere, et vires sumere visum est. Divinum cultum maiori magnificentiâ quàm rerum angustiæ patiebantur, religiosi illi hispani protinùs restituebant (*ib. n.* 91).

§ VIII. Interea in Hispaniæ provinciis mauris subditis frequentes in christianos persecutiones diversis prætextibus suscitabantur, pluresque erant martyres, inter

quos iure numerandi sunt Valentinus et Engratia, fratres illustris sancti Fructi confessoris, qui in altissimo montium Sepulvedæ scopulo austerissimam vitam ducens, christianorum in iisdem montibus latentium et è vicinis populis religionis causâ illum visitantium, solatio, instructioni et sanctificationi magno cum fructu operam dabat *(ib. n. 92)*.

§ IX. Hispanam ecclesiam maurorum infidelitate atrociter vexatam, etiam hæresis interdum agitabat. Iesum-Christum ut hominem non naturalem Dei Filium esse, sed solùm adoptivum, Felix Urgelitanus et Elipandus Toletanus episcopi defendebant: quem errorem cùm præter alia concilia etiam Francofordiense præsente Carolo Magno damnasset, epistolam cedro dignam ad Elipandum et cæteros Hispaniæ episcopos Imperator scribebat. Filiationem adoptivam Christi sanctus Etherius Oxomensis episcopus, et Beatus monachus Liebanensis primi impugnarunt. Quamquam enim natura humana Christi, sanctificante gratiâ, præ omnibus hominibus multùm nobilitata fuerit, gratiâ autem nos filii Dei adoptivi efficiamur, non inde tamen Christus Filius Dei adoptione fieri potuit. Tum quoniam unica est Christi persona, quæ naturalis Dei Filius abs dubio est, naturalem autem filium et filium adoptivum duas personas inter se distinctas esse oportet: tum quia filiatio non naturam afficit sed personam: gratia autem sanctificans quæ personas nostras filios Dei adoptivos efficit, Christi personam non afficit, sed solam eius naturam humanam. Adversùs hunc errorem episcopi Franciæ vehementissimè clamarunt, eum per Hispanias latè grassari, et sensim *nestorianismum* invehere pertimescentes. At paucissimos et ad breve tempus in Hispaniâ amatores hæc novitas habuit. Hispani namque in fide catholicâ constantes semper fuere; atque errores varios, quos sub maurorum dominio Migetius spargere conatus est, summoperè detestabantur *(ib. 93 ad 96)*.

§ X. Arabes ex Hispaniâ Galliam Narbonensem seu Gothicam, Aquitaniam, pluresque aliarum provinciarum Franciæ urbes iteratis expeditionibus ante dimidium sæculi octavi occupabant, monasteria et ecclesias des-

truebant, pluresque christianos in odium fidei capites damnabant, ut abbatem Porcarium cum quingentes monachis Lerinensibus. Pipinus anno septingentesimo quinquagesimo secundo, Regiæ domus *Maior* seu præfectus cùm esset, Rex Franciæ electus, et à sancto Bonifacio archiepiscopo Moguntino consecratus est, et postea nonnulla concilia congregabat, in quibus de matrimonii indissolubilitate obscurè aut incongruè aliquando decernitur (*ib. n.* 97 *et* 98).

§ XI. Pipini filius Carolus, cognomine *Magnus*, anno octogesimo octavo Foroiuliense congregabat, in quo de processione Spiritûs Sancti à Filio contra græcos: et anno nonagesimo quarto Francofordiense, in quo de sanctis imaginibus etiam contra concilium Nicænse secundum agebatur. Et quamquam in utroque multa ad disciplinam Ecclesiæ spectantia sanciebantur, plura tamen in suis Capitulariis præcipiebat Imperator. *Capitularia* autem vocata sunt quædam decreta Imperialia, quæ de consilio quorumdam episcoporum, et sæpè in *Parlamentis* seu Regni comitiis ab Imperatore edebantur; et in quibus aliqua ad civile reipublicæ, et plura ad Ecclesiæ bonum præcipi solebant (*ib. n.* 99 *ad* 101).

§ XII. Maximi in Franciâ sæculo octavo grassabantur abusus: ut Ecclesiæ reddituum et bonorum occupatio à laicis, plurium titulorum ecclesiasticorum, etiam episcopatuum, ab eodem clerico possessio, et aliquorum episcoporum vivendi ratio, ducis exercitûs potiùs quàm pastoris animarum propria. Nihilominùs plures fuere sancti episcopi; quos inter speciali memoriâ dignus est sanctus Crodegangus Metensis, qui anno sexagesimo quinto intererat concilio seu comitiis nationis Francorum Attiniaci celebratis, in quibus omnes qui aderant mutuò sibi spoponderunt, in cuiuslibet eorum morte cæteros omnes superstites psalterii recitatione, et Missarum celebratione defuncto suffragiis opem laturos. Crodegangus regulam pro canonicis communem vitam degentibus edidit (*ib. n* 102 *et* 103).

§ XIII. Toto sæculo octavo frequentissima fuit è Britanniâ maiori ad Romam anglorum peregrinatio. Plu-

res in eâ insulâ fuerunt Reges et abbates pietate insignes; et tandem Picti borealem insulæ partem incolentes eodem die ac catholici Pascha celebrabant. Doctrinâ et virtute multùm eminebat venerabilis abbas sanctus Beda, cuius præclara super sacrâ Scripturâ, historiâ, et chronologiâ opera extant. Varia concilia eodem sæculo in Britanniâ celebrabantur: et præcipua erant Cloveshoviense anno septingentesimo quadragesimo septimo, quod de reformatione morum præcipuè agebat; et Calichitense anno octogesimo secundo, legatis Pontificiis plures canones proponentibus, et episcopis probantibus. Iidem canones concilio alterius regni à legatis propositi et ab episcopis probati fuere (*ib. n.* 104 *ad* 107).

§ XIV. In Bavariâ, ubi sæculo septimo prædicatum iam fuerat evangelium, latè propagabatur sæculo octavo, præcipuè labore legatorum, quos ad hoc misit sanctus Gregorius papa secundus opportunissimis monitis instructos. Etiam per Frisiam seu Hollandiam fides christiana extendebatur zelo sancti Vilebrodi Ultraiectensis episcopi, et sancti Gregorii abbatis. Vilebrodus successorem sibi consecrare volebat Vinfridum anglum, qui à romano Pontifice nationibus Germaniæ orientalibus in fide instruendis aut firmandis destinatus fuerat (*ib. n.* 108).

§ XV. Iste Vinfridus idem ipse est perccelebris sanctus Bonifacius Moguntinus archiepiscopus, qui plurium discipulorum aut sociorum auxilio per varias Germaniæ regiones magno cum fructu pro fide Christi laboravit. Attentâ observatione dignissimæ sunt epistolæ Danielis Vintoniensis in Angliâ episcopi ad Bonifacium, cuius magister fuerat; nec non *Decretales* romanorum Pontificum, quibus quæstiones à Bonifacio propositæ decidebantur. Bonifacius variis gratiis et facultatibus à romanis Pontificibus instructus et decoratus, Bavariam in quatuor episcopatus dividebat: instituebat episcopos; et seductores quosdam, qui se fingebant presbyteros aut episcopos, damnabat et abire cogebat. Etiam in Germaniâ novos erigebat episcopatus, conciliis præsidebat, monasteria fundabat; inter quæ celeberrimum Fuldense fuit: episcopum, qui singulari prælio inimicum

interfecerat, deposuit; et alia Pontificiæ auctoritatis et potestatis per Germaniam munera obivit. Tandem cum sociis quinquaginta duobus glorioso martyrio à paganis coronatus est *(ib. n.* 109 *ad* 112 *)*.

§ XVI. Inter sanctos Bonifacii discipulos zelo propagandæ fidei et corrigendorum morum notissimi sunt sanctus Burcardus anglus, Virburgis in Germaniâ primus episcopus, sanctus Vilebaldus etiam anglus, et primus episcopus Eischstadii seu Quercopolis in Bavariâ, sanctus Sturmius abbas Fuldensis, et sanctus Virgilius Salisburgensis episcopus, qui totius Bavariæ concilium congregavit, et in Carinthiâ magnum idololatrarum numerum convertit, pluresque ecclesias erexit et sacravit *(ib. n.* 113 *et* 114 *)*.

§ XVII. Quod scriptores ecclesiasticos sæculi octavi spectat, memorare sufficiat venerabilem Bedam, Adelmum Shirburnensem, Ioannem Damascenum, Ambrosium Autpertum, Paulum Diaconum Foroiuliensem, sanctum Eterium Oxomensem, sanctum Beatum Liebanensem, et tandem sanctum Bonifacium ob plures epistolas, atque sanctum Germanum Constantinopolitanum. Labente hoc sæculo, per Germaniam vulgari cœpit famosa canonum collectio sub ficto nomine Isidori Peccatoris, aut etiam *Mercatoris*. Impostori autem neque Pontificiam auctoritatem amplificare vel extollere propositum fuit; neque tot ille in disciplinam ecclesiasticam mutationes invexit, quot ipsi obiiciuntur; neque ullum extat indicium, ex quo ipsum hispanum fuisse colligi possit. Ab hac falsâ collectione longè distat alia collectio, quæ verè hispana est, et *Isidoriana* dici potest; quæque eo ipso pluris æstimanda, quòd nullum omninò documentum contineat quod genuinum non sit. Hanc ex antiquissimis codicibus hispanis fideliter typis mandatam, mox christianus orbis cum plausu leget*. Sed iam ad sæculum nonum accedamus *(ib. n.* 115 *ad* 120 *)*.

(*) *Feliciter tandem in lucem edita, prostat Matriti in Typographiâ Regiâ.*

CAPUT VI.

Synopsis sæculi noni.

Romani Pontifices: Carolus Magnus Imperator 1. *Stephanus Rhemis coronat Ludovicum* 2. *Mauri in Italiâ* 3. *Nicolaus primus* 4 *Bulgaros instruit: quæstio de Bulgariâ* 5. *Adrianus secundus. Carolus Calvus de potestate Papæ* 6. *Formosi electio* 7. *Orientis mala: Sancti: Martyres; Amorion* 8. *Asturum Reges* 9. *Cordubæ concilia: Martyres* 10: *spontaneæ confessiones* 11: *persecutio sævior* 12, *multique martyres* 13, *qui veri martyres sunt* 14. *Carolus Magnus firmat fidem Saxonum* 15; *et disciplinam Ecclesiæ conciliis et* capitulariis 16. *Regula Canonicorum. Capitularia Ludovici* 17. *Mala Ecclesiæ lugent concilia* 18. *Britanniæ rex Alfredus* 19. *Normannorum irruptiones* 20. *Super scriptores sæculi eminent Alcuinus: Benedictus Anianus* 21: *Rabanus Maurus: Agobardus* 22: *Eulogius martyr: Hincmarus Rhemensis, cæt.* 23.

§ I. Labente sæculo octavo instaurandi imperii Romani occidentalis opportuna apparuit occasio. Nam Carolus Magnus ferè omnes antiqui Imperii provincias possidebat; neque ab Imperatoribus Orientis, seu Constantinopolitanis, verendum erat ut novæ Imperiali vellent obsistere dignitati. Itaque festo die natalis Domini anni octingentesimi, cùm Carolus Magnus, qui Romæ tunc aderat, Divinis officiis in ecclesiâ sancti Petri interesset, sanctus Leo papa tertius super ipsius caput coro-

nam imposuit, et eum Imperatorem et Augustum populus acclamavit. Sub Leone pontifice Franciæ episcopi, Aquisgrani in concilium congregati, Carolum Magnum inducebant, ut vocabulum *Filioque* apud hispanos iam à sæculo sexto symbolo additum, in Franciâ verò vix introductum, à Romanâ ecclesiâ symbolo quoque addi et cum ipso symbolum in Missâ cantari, legatis eo fine ad Pontificem missis, efficaciter conaretur. Leo tamen supervacaneam duxit atque intempestivam huiusmodi novitatem (*Lib. X. n.* 121 *et* 122).

§ II. Leo Adriano successerat anno sæculi octavi nonagesimo quinto; et post integros annos viginti Pontificatûs moriebatur. Tunc electus fuit Stephanus quartus, qui ut Romanum populum in quiete et officio contineret, eum Ludovico Pio imperatori fidelitatem iurare iussit. Ipse autem Franciam, ut Ludovicum viseret, iter faciens, summo honore receptus est; et Rhemis Ludovicum imperatorem coronavit et consecravit. At post septem Pontificatûs menses moriebatur Stephanus; et eligebatur sanctus Paschalis, qui Lotharium imperatorem coronavit, et ei potestatem, quam prisci Imperatores habuere super populum romanum, concessit. Paschalis ut iconoclastarum bello afflictæ Orientis ecclesiæ dolorem aliquantùm minueret, legatos ad Leonem Armenum misit, qui legationem omninò contempsit, et tamen piis Orientis catholicis solatio fuit quòd Romana ecclesia eorum causam strenuè tueretur. Ad sanctum Theodorum Studitam et alios Orientis monachos Paschalis rescribebat, et eos tenerâ charitate ad perseverantiam hortabatur. Paschali anno sæculi vigesimo quarto subrogabatur Eugenius secundus, qui concilio Romæ congregato contra cleri ignorantiam fortiter dimicabat, atque scholas erigi, et in cavædiis seu *claustris* ecclesiarum præcipuarum, clericos instrui iubebat. Eugenio post triennium mortuo, ad quadraginta dies ei succedebat Valentinus, et postea Gregorius quartus (*ib. n.* 123).

§ III. Quoniam verò mauri ab Hispaniâ et Africâ, et præcipuè à Siciliâ postquam illam occuparunt, crebris expeditionibus vastabant Italiam; Gregorius Ostiam

urbem vallavit, et validè munivit. Postea in Galliam iter agebat, ut inter Imperatorem et eius filios concordiam instauraret. Filios autem nullatenùs flectere potuit, et anno quadragesimo quarto decedebat. Tunc electus fuit Sergius secundus, qui ad initium anni quadragesimi septimi vivebat; et interea saraceni ad portas usque Romæ pervenerunt, atque ecclesias sanctorum Petri et Pauli, quæ extra muros erant, aliasque plurimas expilarunt. Hinc sanctus Leo quartus scientiâ et virtute clarus, qui Sergio successit, antiquiorem Romæ urbis partem, reparato muro eique turribus additis, tutiorem reddidit; et præterea ex præcipuis suburbanis, quasi novam urbem, quam *Leoninam* appellarunt, extruxit, erecto novo fortique muro qui etiam ecclesiam sancti Petri cum vicis proximis circuibat. Anno quinquagesimo quinto Leoni succedebat Benedictus tertius, statim sedatis turbidis motibus, quibus Imperatorum legati initio faverant (*ib.* 124 *ad* 127).

§ IV. Anno quinquagesimo octavo in Benedicti locum electus fuit sanctus Nicolaus primus, honorificentissimè ab imperatore Ludovico secundo acceptus. Pro sancto Ignatio Constantinopolitano, et contra Photium multùm laboravit, ut antea dicebamus. Cùm verò Franciæ rex Lotharius matrimonium suum cum Thietbergâ nullum declarari iniustè contenderet, et episcopi plures atque etiam legati Pontificii Regi turpiter indulgerent, in tam gravi causâ Nicolaus prudenter ac fortiter se gessit: sicut etiam in causâ Rothadii Suessonensis episcopi à sententiâ Hincmari Rhemensis metropolitæ ad romanum Pontificem appellantis: in qua Hincmarus ius appellandi ad romanum Pontificem non negabat, huiusmodi tamen appellationes minùs opportunas esse censebat (*ib.* 128 *ad* 131).

§ V. Eiusdem Nicolai tempore Bulgarorum natio, postquam plures christianos martyrio etiam cruentissimo coronaverat, fidem christianam amplexata est; præcipuè ope perillustris græci monachi qui in Bulgarorum, et principis feminæ Bulgaræ quæ in græcorum servitutem inciderant. Bulgaros sanctus Nicolaus gravissimis et

opportunissimis monitis instruebat; et magna concertatio inde nata est, utrum nempè Bulgaria Constantinopolitano, an Romano patriarchatui subiici deberet. Constantinopolitani allegabant Bulgariam, Dardaniæ nomine, Orientis Imperio subiectam fuisse; et Romani reponebant Dardaniam fuisse partem Illyrici, quod quamquam ad Imperium orientale, non tamen ad patriarchatum Constantinopolitanum, sed ad Romanum semper pertinuerat (*ib. n.* 132 *et* 133).

§ VI. Adrianus secundus, qui anno sexagesimo septimo sancto Nicolao successit, negotiis regni Francorum magnoperè incumbebat: ipsiusque gesta circa regnum Lotharingiæ, et in causâ Hincmari Laudunensis, dum de potestate romani Pontificis agitur, valdè notabilia sunt. Tunc Carolus Calvus Francorum rex iura sua, ad romanum Pontificem scribens, acriter tuebatur. Postea tamen à Ioanne octavo Adriani successore Imperator coronatus, auctoritatem Pontificiam præcipuè in concilio Pontigonensi supra modum extollebat. Ioannes nimis indulgenter cum græcis egisse videtur, et concilia facilè convocabat; inter quæ Trecassinum anni septuagesimi octavi, quod de bonis ecclesiæ usurpatis aut direptis multa continet, ad illius temporis mores cognoscendos opportunissimum est (*ib. n.* 134 *ad* 136).

§ VII. Fulminandis anathematibus facilis Ioannes iuniorem Athanasium Neapolis Ducem excommunicabat, quoniam cum saracenis pacem inierat; et postea absolvebat duris conditionibus de iniustitiâ non facilè excusandis. Mortuo Ioanne sub finem anni octogesimi secundi, initio sequentis eligebatur Marinus: anno octogesimo quarto Adrianus tertius, et sequenti Stephanus quintus, qui anno nonagesimo primo moriebatur. Tunc in romanum Pontificem electus fuit Formosus Portuensis episcopus, qui primus esse videtur ex aliâ sede ad Romanam translatus, quemque Ioannes octavus dirè damnaverat; Marinus verò vel Martinus secundus restituerat. Formoso post quinquennium moriente; Bonifacius sextus, presbyteratu depositus, manu populari eligitur, et statim moritur. Ei subrogatur Stephanus sex-

tus, qui post annum detruditur in carcerem, et strangulatur. Tunc Romanus eligitur, et post tres menses obit. Sequitur Theodorus, pacis amicus et omnibus charus, qui ante mensem pariter decedit. Et tunc inter varios populi motus Ioannes nonus eligitur, qui statim duo concilia celebrat, unum Romæ, alterum Ravennæ, quò ob metum tumultuantium in Urbe fugerat. Atque hís motibus lacrymosa internarum divisionum et scandalorum series in ecclesiâ Romana incipiebat, de quibus sæculo sequenti agendum erit. Nunc de cæteris ecclesiis pauca dicamus (*ib. n.* 137 *ad* 139).

§ VIII. Ac primò quidem Constantinopolitana ecclesia malis gravissimis, præcipuè pestilentissimo Photii schismate vexabatur: eam tamen insignes sanctitate et prudentiâ episcopi, ut sancti Nicephorus, Methodius, et Ignatius, constantinopolitani patriarchæ; et zelo fidei ac disciplinæ servandæ ardentes sancti monachi Theodorus et Platon solabantur, et dirigebant. In cæteris ecclesiis patriarchalibus, omnibusque aliis *Caliphàrum* imperio subditis, solito immanior fuit persecutio, præcipuè in Syriâ, dum civili bello inter *Calipham* et eius fratrem excitato, Imperio anarchiâ ferè dissoluto, in ecclesias, monasteria, et christianos omnes, utriusque factionis fanatici viri supra modum sæviebant: unde maximus erat ubique martyrum numerus. Præterea de urbe *Amorion* cruentam vindictam sumens *Calipha*, generatim omnes utriusque sexûs incolas iugulavit; nobilioribus exceptis, quos catenis onustos, in obscurum carcerem reclusos, et per septennium diris tormentis et variis artibus frustrà tentatos ut Christo abrenuntiarent, tandem morti adscripsit (*ib.* 140 *ad* 142).

§ IX. Frequentissimus quoque fuit sæculo nono martyrum numerus in eâ Hispaniæ parte, quam mauri occupabant, dum christiana monarchia in Asturiâ renata vires et incrementa sumebat. Hanc quatuor tantùm Reges sæculo nono gubernarunt. Alphonsus secundus cognomento *Castus*, princeps contra mauros felix, nec bellicis tantùm artibus, sed sobrietate, religione, castitate, aliisque politicis christianisque virtutibus excel-

lens, qui in Ovetensi urbe regni sui aulam constituit, et antiquis ecclesiis metropolitanis à mauris occupatis, eam ut metropolim interea haberi curabat. Ramirus, qui civili bello pacato, normannis expulsis, et mauris compressis, continuis religionis et pietatis operibus vacabat. Ordonius, qui à christianis et ab arabibus bella excitata prudenter sustinuit, fortiter gessit, et cum laude finivit, quique pater suorum populorum vocari meruit. Atque Alphonsus tertius, re et nomine *Magnus*, qui regni urbes validè munivit, et fines faustis expeditionibus amplificavit. Hi omnes Divino cultui restituendo, ecclesiis instaurandis, et monasteriis erigendis, summâ curâ et profusis opibus incumbebant. Ac simile religionis reparandæ studium in Comitibus Barcinonensibus et Regibus Navarræ ab eorum initio observabatur. In omnibus verò Hispaniæ regionibus, dum è maurorum potestate recuperabantur, variæ sanctorum reliquiæ aut imagines, quæ mauris irrumpentibus absconditæ fuerant, magno cum fidelium plausu passim inveniebantur. Singulari tamen gaudio sancti Iacobi Apostoli corpus apud Iriam Flaviam inventum est (*ib. n.* 143 *ad* 146).

§ X. Sed iam de eà Hispaniæ parte, quæ sub maurorum iugo lugebat, nonnulla dicamus. Circa medium sæculi noni in ipsâ Cordubâ, maurorum aulâ Regiâ, tria episcoporum concilia celebrata fuere: quod licèt christianæ religionis exercitium liberum tunc esse indicet, sævissimè tamen ferè per sexaginta annos eiusdem sæculi fideles vexati sunt. Mahometanorum in christianos odium vehementer inflammabant iudæi plures, et præcipuè Germanus quidam diaconus, qui in iudaismum lapsus fuerat, et ex aulâ Ludovici Pii in Hispaniam transmigraverat. Priores persecutionis victimæ fuere Adulfus et Ioannes fratres, ex patre mahometano et matre christianâ nati, qui relictæ religionis patris accusati, et candidè confessi, decollati fuere. Presbyterum quemdam, nomine Perfectum, maurorum turbæ invadunt; ut exponat quid de Christo et Mahometo sentiat, vi compellunt: loquitur ingenuè, et inde martyrio coronatur. Ioannes negotiator ab infimâ plebe quoque provocatus, fidem confitetur,

et sævissimis tormentis cruciatur (*ib. n.* 147 *ad* 150).

§ XI. Tunc aliqui sancti viri à Deo se vocari crediderunt, ut palàm Evangelium prædicarent, aut fidem sponte profiterentur; christianum populum furore persecutionis exterritum hac ratione animaturi. Hinc glorioso martyrio coronabantur monachus Isaac, Sanctius, Petrus, Valabonsus cum sociis, et item Sisenandus, Paulus, et Theodomirus. Sanctæ Nunilona et Alodia fidem confessæ decollatæ fuerunt ob relictam religionem patris, quamvis mater esset christiana. Aliæ duæ sanctæ Flora et Maria, et item Gumesindus et Servus Dei iudici mahometano se sponte sistebant, christianam fidem professi. Aurelius et Felix cum Sabigotâ et Liliosâ uxoribus suis, martyrii coronam ardenter desiderantes, ut eâ citiùs potirentur, unanimes statuere sanctas mulieres ad ecclesiam accedere discoopertâ facie, pro certo habentes occasionem confitendi fidem inde nascituram. Ita res evenit: maritos protinùs iudex vocat, et reprehendit quòd eorum uxores ad ecclesias christianorum accedere permittant; ipsi verò se christianos esse fatentur; et statim omnes quatuor cum Georgio monacho palæstino morti traduntur. Postea duo hispani monachi Christophorus et Leovigildus, et duo clerici Emila et Ieremias iudici se sistunt, Christi fidem suâ sponte confitentur, et capite damnantur. Durius martyrium passi sunt Rogelius et Servius Deo sancti monachi, quoniam *mezquitam* seu mahometanorum oratorium mauris plenum ingressi fuerant, Christi fidem prædicantes (*ib. n.* 151 *ad* 161).

§ XII. Spontaneis hisce fidei confessionibus iratus Rex Cordubæ christianos omninò extinguere moliebatur, cùm mortuus fuit. At eius successor non minori odio christianos insectatus, severissima decreta contra eos iugiter edebat. Hinc christiani ubique durissimè vexati, aut omninò occulti vivere cogebantur; aut blasphemias, irrisiones et ludibria maurorum patientissimè tolerare. Etenim quodcumque verbum, ut ut moderatum, quod Mahometo aut eius sectatoribus iniurium accipi posset, ultimo supplicio protinùs mulctabatur, nisi abnegatione fidei Christi expiaretur (*ib. n.* 162 *et* 163).

§ XIII. Cùm ergo tam miserabiliter res se haberent, sanctus Fandila presbyter iuvenis ad iudicem pergit, et ut Iesum-Christum verum Deum agnoscat exhortatur; si secùs faciat, æternas pœnas illi comminatur: qui protinùs in carcerem truditur, et paucos post dies decollatur. Eâdem die ad coronam martyrii perveniunt sanctus Anastasius et Felix, et sanctæ Digna, Benilde, Columba et Pomposa. Sanctus Abundius in montibus Cordubæ cuiusdam oppidi parochus falsò accusatur, quòd de Mahometo malè locutus sit: factum negat; sed à iudice de fide interrogatus eam constanter confitetur, et interficitur. Capitali quoque sententiâ damnantur sanctus Amator, Petrus monachus, et Ludovicus laicus, qui Evangelium prædicaverant; et sanctus Vitesindus, qui cùm fidem abiurasset, postea recipiscens falsæ religionis functioni interesse recusavit. Plures alii martyres in eâdem persecutione coronati sunt: inter quos eminebant sancti Argimirus, Rodericus, Salomon, et Aurea virgo, et tandem insignis sanctus Eulogius cum sanctâ Leocritiâ (*ib. n.* 164 *ad* 172).

§ XIV. Vigente tam dirâ persecutione etiam apud christianos dubitabatur, an ut veros martyres eos venerari oporteret, qui non vocati, sed sponte suâ iudici ad confitendum de fide se sistebant. Contra eos septem ad speciem gravia à prudentiâ carnis adducebantur argumenta, quibus tamen facilè respondebatur; atque demonstrabatur persecutionem non à spontaneâ fidelium ferventioris zeli confessione natam esse; imò persecutionem abs dubio priorem fuisse. Item opportunam fore validiorum fidelium confessionem spontaneam ad cæterorum animandam fidem contra vim et artes, quibus mauri religionem christianam penitùs extinguere satagebant. Et quamquam spontanea fidei confessio neque lege sancita sit, neque fidelibus omnibus generatim suadenda aut commendanda: non ideò tamen ii reprehendendi sunt, qui postquam supplici ac fervidâ oratione se ad certamen paraverunt, et attento examine se probaverunt, interiùs à Deo se vocari credunt, ut etiam cum vitæ discrimine nomen Christi infidelibus prædicent, aut coram iudice

christianos persequente sponte confiteantur. Et de Hispaniâ sæculo nono satis (*ib. n.* 177 *ad* 184).

§ XV. Initia huius sæculi noni dum Carolus Magnus Saxones, bellicosam gentem, suo imperio tandem subiiciebat; christiana religio apud eos radices agere, et idololatria extingui incipiebat. A primis Caroli Magni bellis christianam fidem Saxonibus prædicari Imperator curaverat. Saxones, dum victi, baptismum facilè suscipiebant: at simul ac Imperatoris exercitus aberant, in eum simul et in christianam religionem rebellabant. Anno septingentesimo octogesimo quinto Vitiquindus celebris Saxonum Dux à Carolo victus, se fideliter subditum et christianum fore obtulit, et adimplevit; qua occasione episcopatus apud Saxones erigi cœperunt. Et secum reputans Carolus quibusdam monasteriis in Saxoniâ fundatis christianam religionem faciliùs apud Saxones propagandam, quosdam ex eis iuvenes celebrioribus Franciæ monasteriis in scientiâ, pietate, et vitâ monasticâ educandos tradidit. Ex his qui in monasterio Corbiæ sub sancto Adelardo educati fuerant, in terrâ Saxonum novæ Corbiæ monasterium erexere, quod percelebris schola fuit, ex qua frequentes evangelicorum præconum cohortes, non modò per totam Saxoniam, sed per cæteras quoque Aquilonis provincias contra idololatriam expediebantur. Stabiliendæ ecclesiæ Saxoniæ nova *Capitularia* promulgavit Carolus Magnus. Plura alia pro ecclesiasticâ disciplinâ in ditione suâ reformandâ edidit, antequam Imperator coronaretur, et etiam postea (*ib. n.* 185).

§ XVI. Anno octingentesimo tertio decimo in quinque præcipuis Imperii civitatibus metropolitanis, Moguntiâ, Rhemis, Turone, Arelate, et Cabilone concilia celebrari iubebat, et ad se mitti decreta, ut ea invicem conferre posset. In iis opportunissima inveniuntur; et ea quæ Imperialis potestatis auxilio indigere videbantur, novo *Capitulari* firmata sunt. Sacras et profanas litteras ardentiùs excoli variis modis conabatur Carolus: et ante mortem Imperium pro filio suo Ludovico Pio lubens abdicabat (*ib. n.* 186 *ad* 190).

§ XVII. Ludovici iussu in concilio Aquisgranensi

anni sexti decimi regulæ duæ probatæ fuerunt : altera *canonicorum*, in qua sancti Isidori Hispalensis, et aliorum Patrum variæ sententiæ continentur : et altera *canonicarum* seu virginum Deo sacratarum, quibus vivendi ratio præscribitur ad instar canonicorum regularium. Ludovicus etiam in suis Capitulariis multa circa res ecclesiasticas opportunè præcipiebat, et plura concilia celebrari curabat. Inter quæ speciali memoriâ dignum est Parisiense anno vigesimo nono, cuius canones in tres libros seu partes distributi, malis tunc Ecclesiam affligentibus remedia præscribebant opportunissima. Attamen Imperator, quasi mala agnoscere et indicare remedia sufficeret, canones publicari contentus, in illorum adimpletione, qua severitate opus erat, nunquam studuit. Et ex hac Ludovici debilitate non solùm Ecclesiæ sed Imperio quoque multa mala nascebantur (*ib. n.* 191).

§ XVIII. Concilium Parisiense præcipuam malorum causam esse putabat, quòd potestas regia in Ecclesiæ negotia, et potestas ecclesiastica in sæcularia nimis se ingererent. Eodem sæculo luxuriæ scandala etiam inter viros ecclesiasticos erant frequentia : item bonorum Ecclesiæ usurpatio, et episcoporum armatorum et bellantium numerus, atque disputationes omnis generis, ut famosa illa Gothescalchi monachi. Ecclesiæ et reipublicæ mala dolenter lugent concilia ; Moguntinum anni octingentesimi octogesimi octavi, Metense eiusdem circiter temporis, et Triburtinum anni nonagesimi quinti, et efficacia remedia iis applicare peroptant (*ib. n.* 192 *ad* 194).

§ XIX. Etiam in Britanniâ maiori seu Angliâ opportuna celebrabantur concilia. Cùm verò Normanni circa annum septuagesimum octavum totam ferè insulam occupassent Alfredus rex, vir fortis et pius, eos iteratis præliis profligavit. Deinde novis legibus tranquillitatem publicam firmat, et monarchiæ vires auget. Scholis erectis, et viris sapientibus undique conquisitis, populos suos illustrat ; atque fundatis monasteriis, convocatis conciliis aut regni comitiis, mores reformat, et religionem protegit (*ib. n.* 195 *ad* 197).

§ XX. Normanni de quibus gloriosè triumphavit

Alfredus, populi erant barbari et idololatræ, ex Daniâ, Sueciâ, Noruegiâ, vicinisque regionibus navigantes, qui non solùm in Britanniam, sed etiam in Frisiam, in Franciam, aliasque regiones irruperunt; et per flumina ad mediterraneas etiam urbes perveniebant, omnia igne et ferro vastantes, et magnum servorum numerum ac pretiosa quæque secum deferentes. Circa finem sæculi Normanni, qui Neustriam occupabant, cum Rege Franciæ pacem inibant, et paulò post fidem christianam amplectebantur: unde Neustria Normanniæ nomen assumebat. Etiam sancti Anscarius, Rembertus, et eorum socii doctrinam Christi in ipsis regionibus Daniæ et Sueciæ seminare incipiebant (*ib. n.* 193 *ad* 202).

§ XXI. Sed iam de scriptoribus ecclesiasticis sæculi noni memoriam faciamus. Ac primò quidem honoris causâ nominandus est Alcuinus anglus, qui *scholæ Palatinæ* seu palatii Caroli Magni primus magister fuit, et cuius plurima scripta supersunt. Theodulphus Aurelianensis episcopus, gente hispanus, plura poëmata scripsit, et præclaram instructionem ad parochos quam *Capitulare* appellavit. Sanctus Benedictus Anianus, qui in pluribus monasteriis vitæ monasticæ observantiam reparaverat, et institutiones secundùm sancti Benedicti regulam in conventu plurium sanctorum Abbatum ediderat, *Codicem* quoque scripsit *regularum monachalium*, in quo orientales et occidentales regulæ ad usum virorum, et illæ etiam quæ pro mulieribus vitam monasticam profitentibus factæ fuerant, inveniuntur. In hac collectione etiam *reclusorum* regula legitur (*ib. n.* 203 *ad* 208).

§ XXII. Inter cæteros scriptores huius sæculi floruere Rabanus Maurus, in cuius scriptis circa varios disciplinæ ecclesiasticæ articulos magni pretii monumenta supersunt: Aymonius Fuldensis monachus, qui luculentum de Eucharistiâ testimonium dedit: Eginardus, in cuius *Annalibus*, et *Vitâ Caroli Magni*, multa de reliquiarum cultu referuntur: Ansegisus Abbas, qui Franciæ *Capitularia* collegit: Claudius Taurinensis episcopus, natione hispanus, qui utilia commentaria in Scripturam edidit, et inter imaginum inimicos numerari solet: Agobardus

Lugdunensis, qui contra iudæos, et contra duellum seu purgationes vulgares, et alia, opportunè scripsit: Paschasius Radbertus, et Ratramnus qui de Eucharistiâ tractaverunt (*ib. n.* 209 *et* 210).

§ XXIII. His addantur sanctus Eulogius martyr, et Paulus Alvarus, in quorum scriptis Cordubensium martyrum historiam habemus: Prudentius Trecassinus episcopus, gente hispanus, qui præter alia scripsit annales, qui *Bertiniani* vocantur: Anastasius Bibliothecarius, qui multa ex idiomate græco latinè reddidit, et cui *Liber pontificalis*, romanorum Pontificum vitas continens, tribui solet: Amalarius, auctor tractatûs celebris *De officiis ecclesiasticis*: Riculphus Suessonensis præclara monita ad parochos suos dirigens: Hincmarus Rhemensis, cuius opuscula quæ supersunt, doctrinæ copiam et iudicandi vim maiorem ostendunt, quàm vulgata sæculi noni idea patiatur: Valafridus Strabo, auctor *Glossæ ordinariæ* in Scripturam, et tractatûs *De Divinis officiis*: Æneas Parisiensis episcopus, qui scripsit contra errores græcorum: et ut alios præteream, uterque Theodorus, nempè Abucara, qui mahometanos impugnavit; et Studita, cuius præclara sunt scripta contra iconoclastas, et consilia abbatibus data, nec non mulieribus monasticam vitam professis (*ib. n.* 211 *ad* 213). Et hæc de sæculo nono.

CAPUT VII.

Synopsis sæculi decimi.

Ecclesiæ Romanæ tristissima facies 1. *Romani Pontificis auctoritas in Oriente* 2. *Ioannes undecimus Maroziæ filius* 3. *Ioannes duodecimus coronat Othonem imperatorem* 4. *Gregorius quintus, et Silvester secundus* 5.

Orientis scandala : martyres : monachi 6. *Hispaniæ martyres : episcopi : bella infausta* 7. *In Franciâ scandala : Hugo Capetus : Cluniacum* 8. *Henricus Hungaros vincit* 9. *Otho primus : Adelayda : episcopi germani* 10. *Angliæ pii Reges : antistites sancti* 11. *Concilia Trosleianum, Grateolanum, Augustanum* 12. *Scriptores pauci* 13.

§ I. Dum decimum sæculum considerare aggredimur, statim se se offert tristissimo vultu ecclesia Romana, scandalis Formosi mortem consequentibus deturpata. Formosi cadaver iudicio sistere iussit Stephanus sextus; et causâ ridiculè cognitâ, de gradu sacerdotali eiici, amputari caput, et in Tiberim demergi. Stephanus ipse paulò post incarceratus et decollatus fuit. Deinde Ioannes nonus, concilio convocato, quæcumque Stephanus contra Formosum præceperat nulla et scandalo plena declaravit. Hæc ultimis annis sæculi noni. Decimi anno tertio Benedictus quartus, qui Ioanni subrogatus fuerat, vitam clausit. Subitò eligebatur Leo quintus, quem Christophorus presbyter in carcerem trudebat, et eius post duos menses defuncti locum usurpabat. Post annum verò ipse quoque in carcerem missus infeliciter obibat. Tunc anno nongentesimo quinto eligebatur Sergius tertius, qui Stephani acta contra Formosum firmiter tuebatur, et quæ à Pontificibus intermediis pro Formosi memoriâ sancita fuerant, omninò rescindebat. Eo tempore novi generis scandalis Romanam sedem fœdare incœperunt Theodora, duæque eius filiæ altera Theodora et Marozia, apud quosdam romanos Pontifices, et Marchiones Tusciæ nimis valentes (*Lib. X. n.* 214).

§ II. Instante imperatore Leone Philosopho, legati romani Pontificis Constantinopoli concilium cogebant, in quo quartæ nuptiæ licitæ declarabantur, et patriarcha Constantinopolitanus contrà sentiens deponebatur. Atque inde ortum duxit illius ecclesiæ schisma, quod tandem anno sæculi vigesimo extinctum fuit, celebrato ab orientalibus concilio in quo restituebatur patriarcha,

et quartas nuptias improbandas decernebatur; ita tamen, ut quæ ab imperatore Leone contractæ fuerant ratæ et licitæ haberentur, dispensatione suæ dignitati et personæ debitâ. Hoc concilium à romano Pontifice approbari suppliciter exorabat patriarcha Constantinopolitanus. Sergio in sede Romanâ succedebant Anastasius tertius, vir probus et iustus, anno sæculi undecimo; post biennium Landus; et anno quarto decimo Ioannes decimus, qui Theodoræ artibus ac vi malè partum Pontificatum non omninò malè gessit. Mauros ab Italiâ expulit. Archiepiscopum Rhemensem monuit, ut cum Normannis christianam fidem leviter amplexis, et ad idolorum cultum procliviter inclinantibus, magnâ indulgentiâ ageret, nihil nisi illius gentis conversionem et salutem æternam sibi constituens. Ad Compostellam legatum mittebat Ioannes, corpus beati Iacobi ipsius nomine visitaturum; et quinquennis pueri in archiepiscopum Rhemensem electionem probabat. Demum anno vigesimo octavo in carcerem truditur, et vitâ privatur Maroziæ artibus. Tunc Leo sextus paucis mensibus, et Stephanus septimus biennio Romanæ ecclesiæ præsidebant *(ib. n. 215 et 216)*.

§ III. Anno verò trigesimo primo Marozia filium suum iuvenem eligi faciebat, qui Ioannes undecimus vocatus est. At non multò post eiusdem alter filius matri invisus populum commovebat, et matrem atque etiam fratrem Pontificem in carcerem trudebat. Tam indigno usurpatori anno trigesimo sexto subrogabatur Leo septimus, vir sanctus, prudens, et rerum cœlestium meditationi deditus, qui tantam dignitatem vehementer recusabat. Sanctum Oddonem Cluniacensem abbatem Leo Romam accivit, ut monachorum mores reformaret, et inter Principes Italiæ pacem restitueret. Leoni anno trigesimo nono succedebat Stephanus octavus; et huic post triennium Marinus secundus, qui in moribus corrigendis, in templis instaurandis, in pauperum inopiâ sublevandâ, et in dissidiis inter Principes christianos componendis mirificè laborabat. At triennio tantùm in Pontificatu vivebat, et in eius locum ascendebat Agapetus secundus. Hic diuturnum ecclesiæ Rhemensis de legitimo

episcopo bellum finire conabatur, et Parisiensem Comitem, ut à civili bello contra Regem Franciæ deterreret, excommunicavit (*ib. n.* 217 *et* 218).

§ IV. Anno quinquagesimo sexto defuncto Agapeto, Pontificatum usurpabat Octavianus patricius romanus, iuvenis annorum decem et octo, qui nomen Ioannis duodecimi assumebat. Is, ut tyrannidem qua plures Italiæ populi à suis dominis vexabantur compescere posset, Othonem primum Germaniæ et Longobardiæ regem Romam accersivit, Imperatorem anno sexagesimo secundo coronavit, et ei cum omnibus nobilibus fidelitatem iuravit: unde in Othone Imperium Germaniæ initium sumpsit. Donationes à Pipino et Carolo Magno Romanæ ecclesiaæ factas Otho confirmavit, et ad nonnullos Italiæ populos extendit. At turbidus Ioannes Othonem à se alienabat; iste verò magno cum exercitu Romam reversus, Ioannem deponebat, et alium nomine Leonis octavi eius loco subrogabat, quo vicissim post duos menses à Romanis expulso, Ioannes redibat et moriebatur. Tunc eligebant Romani Benedictum quintum, qui, Othone cum exercitu Romam regresso, in concilio declarabatur intrusus, et Leo restituebatur. Hoc verò defuncto anno sexagesimo quinto, omnium plausu Ioannes tertius decimus electus fuit. Is Othonem secundum, prioris filium, precibus patris coronavit. Anno septuagesimo secundo Benedictus sextus Pontifex creatus est, et statim à populo commoto in carcerem trusus, et postea iugulatus: et eius locum usurpabat Franco, qui expilatâ Vaticanâ basilicâ Constantinopolim fugiebat. Tunc eligebatur Donus secundus; et statim Benedictus septimus, qui anno octogesimo quarto decedebat. Ei succedebat Ioannes quartus decimus; et paulò post è Constantinopoli rediens Franco populum commovebat, et Ioannes in carcerem mittebatur, ubi fame peribat. At moriebatur etiam Franco; et eligebatur Ioannes quintus decimus, qui habitâ eorum temporum ratione tranquillum Pontificatum adeptus est ad annum nonagesimum sextum (*ib. n.* 219 *ad* 223).

§ V. Deinde creabatur Pontifex Gregorius quintus, Bruno antea dictus, Othoni tertio affinis, quem Impera-

torem Romæ coronavit. Postea verò à Crescentio turbido ac potente senatore Gregorius è Româ expulsus est, et in eius locum suffectus Philagatus quidam, qui Ioannes decimus sextus vocari voluit. Othone verò cum exercitu Romam redeunte, Gregorius Ticini concilium celebrabat, in quo antipapam et Crescentium ab Ecclesiæ communione seiungebat. Antipapa verò à militibus Othonis captus, oculis erutis, auribus naribusque præcisis, punitus est. Deinde Romæ restitutus Gregorius, irritum in concilio declarabat matrimonium Roberti Galliæ regis cum Bertâ consanguineâ. Tandem post tot turbulentas et scandalo plenas Pontificum romanorum electiones, inter quos aliqui abs dubio fuere meliori sæculo digni, anno nonagesimo nono eligebatur Gerbertus, vir in scientiis præcipuè mathematicis eruditus, qui Silvestri secundi nomen assumpsit, et diversas epistolas reliquit. In Italiâ sancti Romualdus et Nilus in vitâ monasticâ hoc sæculo maximè floruere *(ib. n.* 224 *ad* 226 *)*.

§ VI. Etiam ecclesiam orientalem fœdissima scandala et immanes persecutiones sæculo decimo affligebant. Imperator Romanus Lecapenus Tryphonem pium monachum in patriarcham Constantinopolitanum eligebat ad solum quadriennium : dum scilicet Imperatoris filius Theophilactus, perditissimis moribus iuvenis, ad ætatem perveniret in qua patriarcha renuntiari posset. Elapso quadriennio re ipsâ Theophilactus patriarcha institutus est; et ecclesiæ redditibus abutens, corruptiorem vitam ducere pergebat, imò etiam in loca sacra indecentissimos saltantium et turpia cantantium choros diebus Ecclesiæ solemnioribus inducebat. Postea Nicephorus imperator Constantinopolitanus Cretam insulam et quædam castella ex arabibus recuperabat: isti verò in christianos sibi subditos furentes, quasi Imperatorem ad bellum excitassent, Christophorum patriarcham Antiochenum, et Ioannem Ierosolymitanum morte cruentissimâ interfecerunt. Inter tot calamitates aliqui erant in Oriente sancti monachi austerissimæ et sanctissimæ vitæ, ut Lucas cognomento Iuvenis, Paulus è Latre, et Nicon Metanoites *(ib. n.* 227 *ad* 231 *)*.

§ VII. Etiam in Hispaniâ magnus fuit martyrum numerus, inter quos singulari recordatione dignus est sanctus puer Pelagius. Initio sæculi Alphonsus Magnus veræ magnanimitatis novum dedit specimen: dum ad civile bellum vitandum non modò filio suo rebelli pepercit, sed pro eo coronâ abdicatâ è carcere ad thronum transtulit, et factus ipsius filii sui miles obediens et fortis, novas victorias de mauris reportabat. Circa finem sæculi magna fuerunt hispanorum in bellis cum mauris infortunia, et novæ Hispaniæ monarchiæ fines multùm coarctati cùm maximo ecclesiarum omnium damno. Plures erant hoc sæculo hispani episcopi sanctitate illustres, ut Gennadius Asturicensis, Ansurius Auriensis, Rudesindus Mindoniensis, Froylanus Legionensis, et Attilanus Zamorensis. Hi omnes vitæ monasticæ propagandæ fuerunt studiosissimi; cui ut tres priores se se consecrarent, episcopatu abdicato ultimos vitæ annos in monasteriis transegere *(ib. n.* 232 *ad* 240 *).*

§ VIII. In Franciâ ob summam Regum, qui Carolo Magno succedebant, debilitatem, frequentissima erant inter duces et magnates bella quasi civilia, ex quibus episcoporum intrusiones et depositiones, bonorum Ecclesiæ usurpatio et dissipatio, et alia scandala continuè nascebantur. Circa finem verò sæculi decimi regnum Franciæ ad Hugonem Capetum et Robertum eius filium transferebatur, à quibus tertia Regum francorum progenies incipiebat, quæ longè diutius quàm duæ præcedentes erat duratura. Interea ab anno nongentesimo decimo fundabatur Cluniacense monasterium, in quo opportunæ et sanctæ instituebantur consuetudines, quibus vitæ monasticæ reformatio utilissima ad plura monasteria extendebatur *(ib. n.* 241 *ad* 243 *).*

§ IX. Rhenus fluvius tunc dividebat Caroli Magni Imperium in Galliam vel Franciam, seu Francorum occidentalium regnum, et Germaniam seu regnum Francorum orientalium. Hoc verò iam ab initio sæculi à posteris Caroli magni ad Conradum Franconiæ ducem, et ad Henricum filium Othonis ducis Saxoniæ translatum fuerat. Germaniam immaniter vexabant Hungari seu au-

tiqui Hunni, qui è Pannoniâ seu novâ Hungariâ à fine sæculi noni in Germaniæ provincias ferè omnes, et usque in Italiam irrumpentes, res christianorum sacras irridebant, clericos trucidabant, ecclesias et monasteria expilabant flammisque donabant, atque christianos innumeros omnis ætatis, sexûs et conditionis aut morti adscribebant, aut in servitutem redactos secum ferebant; christianos itidem Principes ad gravia solvenda tributa compellentes. Henricus, vir strenuus et pius, tributo negato, Hungaris aggredientibus firmiter obsistebat, eosque variis præliis profligabat. Danorum quoque regem Gurmum christianis infensum comprimebat, et in aquilonaribus regionibus infidelium conversioni studiosè operam dabat, ad tam pium opus illum etiam excitante sanctâ Matilde uxore suâ *(ib. n.* 244 *ad* 247 *)*.

§ X. Otho primus, cognomento *Magnus*, Henrici filius, huiusque successor consecratus ab archiepiscopo Moguntino, plurium regionum gentilium, præcipuè Bohemiæ, conversionem, et cleri germanici potestatem temporalem maximè promovit; et sancta Adelayda eius uxor in rebus prosperis et adversis æquè modesta et magnanima Imperium regebat in minori ætate Othonis secundi, qui erat primi filius et successor. Sub principibus adeò piis plures erant germani episcopi sanctitate celebres. Sic sanctus Ratbodus è ducibus Frisiæ ortus, et à negotiis civilibus constanter fugiens, ut animarum saluti æternæ se totum devoveret, Ultraiectensem ecclesiam sanctissimè regebat. Bremensem Hamburgensi unitam, Daniæ et totius Sclaviæ metropolim, ferè toto sæculo sancti episcopi gubernabant. Coloniensem sanctus Bruno Othonis magni frater, vir gravitate morum, singulari eruditione, civilibus christianisque virtutibus, ac zelo propagandæ fidei et salutis animarum celeberrimus. Ausburgensem Udalricus politici iuris peritissimus, fortis miles, et episcopus sanctus: Magdeburgensem et Pragensem uterque Adelbertus; et Ratisbonensem sanctus Volfangus *(ib. n.* 248 *ad* 256 *)*.

§ XI. Angliam etiam plures sancti episcopi illustrarunt, ut Otho Cantuariensis, et Dunstanus eius successor:

cuius consiliis Edgarus rex, eiusque filius sanctus Eduardus, multa pro bono reipublicæ et Ecclesiæ, præcipuè contra dissolutos quorumdam clericorum mores opportunissimè providebant. Inter leges ab Edgaro promulgatas quædam sunt circa parochorum officium notabiles, præsertim circa redemptionem actuum pœnitentiæ. Dunstano successit sanctus Alfricus, qui quosdam Libros sacros ad vulgarem Anglosaxonum, nempè gregis suæ, linguam convertit, et alia scripsit. His sanctis episcopis addendus est sanctus Turketulus, regio genere ortus, qui ex Cancelario regni factus monachus et abbas Chroinslaudensis, monasterium restituit *(ib. n.* 257 *ad* 261 *).*

§ XII. Sæculi decimi sufficiat tria concilia memorare, Trosleianum, Grateolanum, et Augustanum. Nempè anno sæculi nono *Trosleio* in Franciâ celebrabatur concilium, in quo morum corruptio vivis atrisque coloribus depingebatur; et magnâ vi tum animarum pastores, tum oves ipsæ ad emendationem excitabantur. Scandala contra quæ patres concilii fortiùs declamant, sunt monasteriorum bona ad administrationem tradere laicis, et etiam matrimonio coniunctis: bonorum Ecclesiæ frequens usurpatio; eiusque ministrorum multiplex vexatio, et contemptus: inter dominos vicinorum populorum parva et continua bella: mulierum raptus; atque matrimonia sive clandestina, sive virginum aut viduarum voto impeditarum. Item sacerdotum quorumdam luxuria: periuriorum homicidiorumque frequentia: domûs episcopalis in morte episcopi expilatio, et tandem noscendæ doctrinæ christianæ summa incuria. Anno vigesimo octavo in concilio Grateolano, seu *Grateleano*, plura à Rege Angliæ præcipiebantur circa decimas, purgationes vulgares ferri, aquæ et ignis, psalmorum cantum et alia; et episcopis commendabatur ut neque in rebus Divinis neque in civilibus inordinatum aliquid tolerarent, veluti falsa pondera, iudicum iniustitiam, etc. Tandem Augustæ Vindelicorum concilium, anno quinquagesimo secundo, subdiaconis et maioribus clericis matrimonium severissimè interdicebat, et venationem, atque episcopis monasteriorum reformationem commendabat *(ib. n.* 262 *).*

§ XIII. Superest ut ex paucis sæculi decimi scriptoribus paucissimos nominemus : nempè Simeonem Metaphrastem, qui Imperatoris iussu sanctorum vitas collegit, et quæ minùs eleganter scriptæ erant ornabat et ad libitum illustrabat. Abbonem Floriacensem abbatem : Attonem Vercellensem episcopum, qui de diaconissarum ministerio, de purgationibus vulgaribus, de laboribus Ecclesiæ, de cleri incontinentiâ, deque aliis, gravissimè et opportunè disseruit : Flodoardum Rhemensem canonicum : Luitprandum Cremonensem episcopum : et Ratherium Veronensem, qui catholicum dogma de reali præsentiâ Domini in Eucharistiâ in suis epistolis clarè professus est. Et hæc de sæculo decimo *(ib. n.* 263 *)*.

CAPUT VIII.

Synopsis sæculi undecimi.

Romani Pontifices : Benedictus nonus , puer 1. *S. Leo nonus* 2. *Alexander secundus* 3. *S. Gregorium septimum inter et Henricum quartum dissidia* 4. *Utraque potestas in alterius iura irrumpit* 5. *Concilia Placentinum , Claromontanum , et alia* 6. *Mala Orientis* 7. *Ecclesia hispana illustratur* 8. *Bellum in* officium *gothicum* 9. *Bernardus Toletanus* 10. *In Franciâ* cœli pax, *et* Dei induciæ 11. *Sancti viri : Cistercienses : Carthusiani* 12. *Sancti Henricus in Germaniâ , et Stephanus in Hungariâ* 13. *In Angliâ et Daniâ sancti Reges et episcopi* 14. *Margarita Scotiæ regina : Olafus Noruegiæ Rex : Slavi* 15. *Aliqui scriptores* 16.

§ I. Cùm primùm ad sæculum undecimum accedimus, et romanorum Pontificum seriem consideramus,

Silvestro secundo suffectos videmus anno sæculi tertio Ioannem decimum septimum, et Ioannem decimum octavum: anno nono Sergium quartum; et Benedictum octavum anno duodecimo. Hic cum valido exercitu saracenos, qui Etruriæ partem occupaverant, aggreditur, vincit, et ferè omnes iugulat. Atque postea Ticini concilium celebrat, in quo adversùs clericos incontinentes, et eorum filios ac concubinas multa opportunè constituit. Anno vigesimo quarto, mortuo Benedicto, eius frater laicus, pecuniæ ut videtur largitione, Romanus præsul effectus est, et Ioannes decimus nonus vocatus, qui Conradum imperatorem coronabat. In eius locum anno trigesimo tertio imberbis duodecim circiter annorum puer Papa eligebatur, et nomen Benedicti noni assumebat: inde verò mala oriebantur innumera. Benedicto Pontificatum suum abdicante aut vendente, anno quadragesimo quarto eligebatur Gregorius sextus, vir religiosissimus, qui plura vitia et abusus reformare conabatur. Et post biennium Henrico tertio Romam accedente ut urbis factiones sedaret, Gregorius sponte Pontificatui renuntiabat, et communi plausu Clemens secundus electus fuit. Ei subrogabatur Damasus secundus, qui post paucos dies obiit *(Lib. X. n.* 264 *ad* 266 *).*

§ II. Tunc anno quadragesimo nono in conventu Vormatiensi ab Henrico tertio designatus est Pontifex Bruno, Tulensis episcopus, cuius etsi reluctantis electio à clero populoque Romano cum plausu confirmata fuit. Electus nomen Leonis noni assumpsit, et variis conciliis in Italiâ, Franciâ et Germaniâ celebratis, contra tunc grassantes abusus, præcipuè contra simoniam et cleri incontinentiam fortiter dimicabat. Moguntino archiepiscopo sua iura firmiter tuenti cedebat iste sanctus Pontifex. Postea à Normannis victus et apprehensus ab iis honorificè accipiebatur. Leonis tempore Michaël Cærularius Orientis schisma maiori quàm antea odio iterum inflammabat. Leoni succedebat Victor secundus anno quinquagesimo quinto: post biennium Stephanus nonus; et aliquos post menses Nicolaus secundus, qui cum Normannis eam pa-

cem inivit, ex qua Neopolitanum regnum ortum est *(ib. n.* 267 *ad* 270 *)*.

§ III. Anno sexagesimo primo Alexander secundus eligebatur Pontifex, et non expectato Imperatoris consensu consecrabatur: unde ortum schisma, quod sancti Annonis Coloniensis ope feliciter extinctum fuit. Alexander Florentinum episcopum deposuit, qui se simoniacum confessus est, postquam Petrus monachus, qui inde nomen *Ignei* habuit, coram florentino populo, in probationem simoniacæ electionis episcopalis, inter flammas illæsus pertransierat. Multa concilia contra simoniam et cleri incontinentiam Alexander coëgit: *cathedralium* ecclesiarum canonicos sancti Augustini regulam profiteri, et secundùm illam communitùs vitam ducere curabat: et ut tumultus cæteraque scandala, quæ Mediolani ex incontinentiâ et simoniâ fuerant exorta, compesceret et in posterum caveret, mittebat legatos, et multa providebat *(ib. n.* 271 *ad* 274 *)*.

§ IV. Inter romanos Pontifices sæculi undecimi nullius nomen celebrius unquam fuit, quàm sancti Gregorii septimi, qui antea Hildebrandus vocabatur, quique à longo tempore in Ecclesiæ regimine primas partes agebat. In locum defuncti Alexandri anno septuagesimo tertio subrogabatur; atque Henricum tertium Imperatorem, et quartum Germaniæ Regem, effrenatâ luxuriâ, publicâ simoniâ, aliisque vitiis valdè infamem, et populis præcipuè saxonibus exosum, amicè priùs admonebat, deinde reprehendebat vehementer, et postea Romam citabat, ut criminibus quibus accusabatur se expediret, severam excommunicationem comminatus, nisi constituto tempore adesset. Contrà verò Henricus Gregorium Pontificatu deponere attentabat, Hugonis Candidi cardenalis intrepidi et atras calumnias contra Pontificem evomentis, auxilio suffultus. Cùm tamen Gregorius re cognitâ non modò Henricum ab Ecclesiæ communione arceret, sed eius subditos à iuramento fidelitatis absolveret, Henricus rarissimo abiectionis exemplo absolutionem à Gregorio in castello Canosæ petebat, et consequebatur *(ib. n.* 275 *ad* 282 *)*.

§ V. Deinde Longobardis censuras à Pontifice latas contemnentibus, et Henrici erga Gregorium demissionem, quasi vilem subiectionem exprobrantibus, Imperator quæ Canosæ facta fuerant improbabat et retractabat : Germani novum Regem, probante Pontifice, sibi eligebant : Pontifex anno octogesimo rursùs Henricum à communione Ecclesiæ, et regno Germaniæ et Italiæ novâ sententiâ removebat : Imperator Gregorium deposuit, et eius loco Guibertum consecrari curavit ; et inde bella ciebantur cruentissima. Sic inter se pugnabant ambæ supremæ potestates, spiritualis et temporalis, et utraque in alterius iura irrumpebat. Cæteroquin sanctus pontifex Gregorius, quo zelo verè apostolico æstuabat, in simoniam et cleri incontinentiam decreta edebat severissima, et exactè observari nitebatur. Atque gravibus undique sibi imminentibus periculis, excommunicationum utpote nimis frequentium vim imminuens, et concilia multa celebrans, adversùs omne vitium et grassantes abusus indefessus ad mortem usque strenuè dimicavit *(ib.* 283 *ad* 288 *).*

§ VI. Schisma Guiberti ad finem usque sæculi perdurabat. Interea tamen Victor tertius Gregorii successor, qui ferè integro biennio consecrari differebat, validam expeditionem in mahometanos promovit, quæ in ora maritima Africæ urbem eiusdem nominis diripuit, multis maurorum millibus interfectis. Deinde Urbanus secundus qui Victori anno octogesimo septimo defuncto successerat, varia contra schisma, errores, vitia et abusus congregabat concilia : quorum celebriora fuere Placentinum et Claromontanum anno nonagesimo quinto, in quibus de mittendis exercitibus in auxilium fidelium Palæstinæ à mauris oppressorum agebatur. Claromontanum regem Franciæ Philippum, quòd vivente primâ uxore secundam ducere attentaverat, privatione communionis Ecclesiæ, absque tamen Regiæ auctoritatis detrimento, mulctavit. In Urbani locum Paschalis secundus eligebatur anno nonagesimo nono ; de quo capite et sæculo sequentibus redibit sermo *(ib. n.* 289 *ad* 291 *).*

§ VII. Orientalis ecclesiæ mala iugiter augebantur. In patriarchatu Constantinopolitano *Caristicarii,* seu ab-

bates *commendatarii,* non solùm monasteria non reparabant ut antea, sed eorum ruinam in spiritualibus rebus et temporalibus accelerabant : quem abusum patriarcha Alexius comprimere non poterat. Alexio in malum illius ecclesiæ succedebat Michaël Cærularius, à quo infaustum Orientis schisma innovatum et roboratum fuit, ut antea dicebamus. In cæteris patriarchatibus plus solito invalescebat persecutio initio sæculi : circa finem verò expeditiones illæ, quæ *bella sacra*, seu *cruciatæ*, vocatæ sunt, incipiebant, ut postea dicemus. In Africâ Leonis noni tempore quinque tantùm episcopi superesse videntur : imò sub Gregorio septimo non nisi duo amplius memorantur. Adeò rapida fuit præfulgentis illius ecclesiæ sub densâ ac pestiferâ *mahometismi* nube offuscatio *(ib. n.* 292 *ad* 294 *).*

§ VIII. In Hispaniâ Ferdinandus rex, iure vocatus *Magnus*, iteratis præliis mauros vincit, et ab eis populosas munitasque urbes expugnat, sanctissimèque moritur anno sæculi sexagesimo quinto. Etiam Alphonsus sextus in expeditionibus suis contra mauros adeò felix fuit, ut tandem anno millesimo octogesimo quinto urbem et regnum Toleti recuperarit. Interea Sanctius maior, Navarræ rex, et Raymundus Berengarius Barcinonensis Comes eodem sæculo militari fortitudine contra mauros, et singulari pietate erga res Ecclesiæ illustrabantur. Plures in hoc sæculo episcoporum conventus seu concilia celebrabantur in Hispaniâ, quorum notiora sunt Legionense, Coiacense, et Compostellanum. In his tribus varia ad bonum Ecclesiæ et reipublicæ sanciebantur ; ut nimirùm in conciliis priùs de negotiis ad Ecclesiam, secundò ad Regem, tertiò ad populum spectantibus agatur : Episcopi in suis sedibus resideant : Abbates et Abbatissæ episcopis subiiciantur, atque obediant ; regulâque sancti Benedicti monasteria dirigant. Presbyteri et diaconi bellica arma ne deferant, etc. *(ib. n.* 295 *ad* 298 *).*

§ IX. Eodem sæculo in officium gothicum seu *Muzarabicum,* hoc est in ordinem antiquum hispanum Missas et officium ecclesiasticum celebrandi, immane bellum motum est : Romanis gallisque clericis ac monachis

acriter contendentibus, ut hispani antiquo suo more seu ordine recitandi officium, Missasque peragendi, relicto, *romanum,* sicuti galli fecerant, adoptarent. Officium *gothicum* à calumniis inimicorum suorum hispani facilè vindicabant : prudens tamen ac patiens hispanorum moderatio gallorum innovandi et romanorum omnia disponendi pruritui sensim cedebat. Cardinalis Hugo Candidus, gallus monachus et Papæ legatus, cuius audaciam à schismate Guiberti facilè noscas, anno septuagesimo primo sub protectione Reginæ Aragoniæ et Comitissæ Barcinonensis, ortarum ex Franciâ, officium gothicum seu Toletanum in Aragoniâ et Cathalauniâ vetabat; in his provinciis officium quod *gallicanum* seu *Legem romanam* vocabant, servari iubens *(ib. n.* 299 *ad* 302 *).*

§ X. Has in antiquâ Hispanæ ecclesiæ disciplinâ mutationes promovisse quoque censendus est Bernardus monachus gallus, qui primus Toletanus archiepiscopus post huius urbis recuperationem è Mauris electus fuit. A maiori Toletanâ *mezquitâ* quam rex Alfonsus inter deditionis pacta mauris concesserat, eos inconsultissimo zelo per vim excludebat : quo in casu Regis elucebat iustitia, qui mauris fieri satis constituit : Romam bis saltem profectus Bernardus pro se suâque ecclesiâ honores et privilegia singularia consecutus est. Etiam ad Terram sanctam iter fecisset, nisi romanus Pontifex prohibuisset. Interea Tarraconem à mauris irruptionis tempore solo æquatam, nec unquam postea inhabitatam, Berengarius Ausonensis episcopus instaurare, et contra mauros munire moliebatur, sed incassùm *(ib. n.* 303 *ad* 306 *).*

§ XI. Quæ mala ex Regum Franciæ impotentiâ ad præcipuos subditos in officio continendos, et horum inter se continuis bellis, ut antea diximus, nascebantur, multùm increbrescebant; donec ineunte sæculo undecimo episcoporum concilia *Cœli pacem* et *Dei treguam*, seu quorumdam dierum et erga homines inermes inducias statuebant. In Brituricensi anno trigesimo primo multa de disciplinâ ecclesiasticâ opportunè decernebantur *(ib. n.* 307 *).*

§ XII. Inter sanctos monachos Franciæ eminebant

Arnulphus reclusus, factus Suessonensium episcopus: Odilon, qui in *Dei treguâ* per Franciam extendenda multùm laboravit, et defunctorum omnium annuam commemorationem introduxit; et qui cluniacenses consuetudines scripsit, Ulricus. Augustam Trevirorum variis prodigiis et sanctitate morum ædificabat Simeon monachus, qui iam in monte Sinai vitæ austeritate celebris fuerat. Sancti Romualdus et Ioannes Gualbertus post aliqua monasteria reformata aut fundata, Camaldulensem ille, iste Vallisumbrosam congregationes instituebant. Sanctus Robertus Cistersiensis reformationis fundamenta iaciebat, et sanctus Bruno Carthusianorum ordinem fundabat legibus et moribus sanctissimis, quas Petrus Venerabilis abbas cluniacensis mirabatur *(ib. n.* 308 *ad* 315 *).*

§ XIII. In Germaniâ sanctus Henricus secundus, cùm monachus fieri vellet, ex obedientiâ in Imperio manet; et eius uxor sancta Cunegundis post Henrici mortem monasterium ingressa, vota religiosa emittit. Sanctus Stephanus Hungariæ Rex gentis suæ passim idololatræ conversionem efficacissimè promovit. Plures quoque sancti episcopi Germaniam illustrarunt, ut Meimbercus Paderbonensis, et Bernuardus Hildesiensis; et anno sæculi vigesimo secundo concilium Salegunstadiense multa notatu digna circa ieiunia et eorum redemptionem, celebrationemque plurium Missarum eodem die ab uno sacerdote, peregrinationem ad urbem Romam, matrimonium, et pœnitentiam, disposuit *(ib. n.* 316 *ad* 318 *et* 321 *).*

§ XIV. Ecclesias Angliæ ab initio sæculi undecimi Daniæ gentes, ferè omnes idololatræ, frequentibus irruptionibus mirè vexabant; et sanctus Elphegus Cantuariensis episcopus eorum barbariem emollire contendens, post diversa tormenta cruentissimo martyrio ab ipsis trucidatus est. Canutus Magnus Daniæ Rex, qui christianus erat, in totâ ferè Angliâ per annos viginti summâ benignitate et providentiâ dominabatur, consiliis sancti Elnoti Cantuariensis episcopi feliciter usus. Post Canutum Magnum Angliam gubernavit sanctus Eduardus: quo sine liberis mortuo, ad regnum Angliæ ascendit Guillelmus Normanniæ dux, hanc Franciæ provinciam in suâ po-

testate conservans: unde postea inter anglos et francos tot bella nata sunt. Ex Angliâ quosdam episcopos secum ferebat Canutus Magnus, et in nonnullis Daniæ urbibus collocabat magno reipublicæ ecclesiasticæ bono. Circa finem sæculi Daniæ Rex fuit sanctus Canutus, qui ut fidem propagaret, frequentia bella contra vicinos principes idololatras sustinuit *(ib.* 322 *ad* 324 *et* 329 *)*.

§ XV. Eodem sæculo sancta Margarita regina Scotiæ pro Ecclesiâ ardenti zelo laborabat. Sanctus Olafus Noruegiæ Rex, etiam presbyteris et episcopis ex Angliâ accitis fidem apud gentes suas extendebat; et alius Olafus Sueciæ Rex sedem episcopalem in suo regno erigebat, et Suecorum conversionem curabat. Interea Slavi, Sclavi, seu Sclavones, qui fidem christianam bis admiserant, et innumeris christianis interfectis abiuraverant, sub Principe sancto Goteschalco ingenti numero convertebantur: anno tamen sexagesimo quinto supra millesimum, qui inter Slavos erant pagani furenter commoti, Regem cum innumeris sacerdotibus, monachis, aliisque fidelibus cruento interfecerunt martyrio; atque totam provinciam Hamburgensem strage et morte repleverunt. Et hæc de ecclesiis borealibus sæculo undecimo *(ib. n.* 320 *ad* 323*)*.

§ XVI. Inter primos huius sæculi scriptores numerari solet Burcardus Vormiensis episcopus ob *Decretum,* seu *Collectionem canonum.* Fulberti Carnotensis poëmata et epistolæ, nunc quoque legendæ, supersunt. Guido Aretinus *Micrologo* suo, seu libro *de musicâ,* ecclesiarum cantum *unisonum* faciliorem et concinniorem reddidit. Sanctus Petrus Damianus fortia bella sustinuit contra simoniam et cleri incontinentiam, quas pestes etiam Mediolani compressit. Vitam scripsit sancti Dominici Loricati, pluresque sermones et epistolas, in quibus promovendæ rigidæ pœnitentiæ zelus ardentissimus, quamquam aliquando forsan è prudentiâ christianâ deflectens, apparet. E Normanniâ Guillelmi ducis et Regis iussu in Angliam transnavigavit celebris Lanfrancus gente italus, in scientiis colendis et discipulis erudiendis indefessus, qui Cantuariensis archiepiscopus institutus, totam Anglicanam ecclesiam multùm illustravit. Inter eius scripta singulari

memoriâ digna sunt *Statuta*, quibus monachorum ecclesiis *cathedralibus* inservientium vitam dirigebat. Demum aliqua scripta supersunt Anselmi Lucensis episcopi super rebus sui temporis : Theophilacti Acridensis in Bulgariâ episcopi *Commentaria in Scripturam*, *Instructio Principis*, et *Epistolæ* : atque Adami canonici Bremensis *Historia ecclesiarum borealium* (*ib.* 324 *ad* 329).

CAPUT IX.

Synopsis sæculi duodecimi, et ad mortem Innocentii tertii.

Traditiones possessionum per baculum et annulum 1 : *hoc bellum effervescit* 2 : *pacificatio intercedit* 3. *Concilium I. Lateranense* : *Rhemense* 4. *Innocentius secundus Romæ* : *Lateranense secundum* 5. *Adrianus et Fridericus* : *Sicilia* 6. *Alexander tertius*, *et Lateranense tertium* 7. *Innocentius tertius* 8. *Armeniæ* Catholicus : *Lateranense quartum* 9. Cruciatæ, *seu bella sacra* 10 : *eorum causæ* 11. *Prima* cruciata : *regnum Ierusalem* 12. *Secunda, seu S. Bernardi, infelix* 13. *Ierusalem adversariis cedit* : *novæ expeditiones* 14 : *Franci Constantinopolim occupant* 15. Templarii *et* Hospitalarii 16. *Mores latinorum in Oriente* 17. *In Hispaniâ bella contra mauros prospera* 18 : *matrimonia duorum Regum irrita declarantur* 19. *Hispaniæ concilia* 20 : *episcopi, et sancti viri* 21. *Franciæ oncilia*, *et viri sancti* 22. *In Angliâ Anselmus* 23. *Irlandiam Rex Angliæ petit à summo Pontifice, ut domino insularum* 24. *Thomas Cantuariensis* 25 : *consuetudines regales* 26. *Illustres et sancti episcopi* 27. *Ecclesia per septentrionem extenditur* 28. *Novæ religiosæ familiæ* : *Bernardus* 29. *Norbertus* 30. *Nonnulli scriptores* 31.

§ I. Ex quo Imperatores et Reges ecclesiis dominia temporalia donare cœperunt, solebant episcopi et abbates illis se sistere, in eorum verba iurare, et ab eorum manu in signum possessionis dominii aliquid accipere, eodem omninò modo ac laici, quibus dominia concedebantur; et tunc Rex dicebatur *investituram* dare vel facere, seu in possessionem mittere. Simul verò ac episcoporum vel abbatum nominationem sibi Reges vindicare voluerunt; ne in ecclesiis defunctorum successores subitò eligi possent, iubebant baculum et annulum post episcopi aut abbatis mortem protinùs ad aulam deferri; et electis per traditionem baculi et annuli dabant *investituram*, quam proinde antecedere consecrationem, quæ sine illis fieri nequit, oportebat. Hinc vehementes discordiæ natæ sunt inter Principes sæculares, per traditionem baculi et annuli *investituram* dominiorum præsulibus ecclesiasticis dare contendentes; et Pontifices, et generatim clericos et monachos, quibus videbatur baculum et annulum, utpote signa iurisdictionis spiritualis, in signum possessionis dominii temporalis assumi non debere; et præterea abusum esse intolerabilem, hac ratione libertatem eligendi proprios præsules ecclesiis adimi (*Lib. X. n.* 330).

§ II. Effervescebat hæc concertatio tempore Paschalis secundi. Hic romanus Pontifex, qui schisma Roberti feliciter extinxit, Leodicensem clerum schismatis arguebat ob unionem cum Henrico quarto firmiter et fideliter conservatam; clerus autem iura temporalia à spiritualibus in suâ responsione efficaciter distinguebat. Paschalis, etsi odio in Henricum quartum, huius filii Henrici quinti partes agere videretur, *investituras* tamen per baculum et annulum severissimè prohibebat: unde iussu Henrici quinti detinebatur; et eius minis territus tandem ineunte anno sæculi undecimo *investituras* ipsi publicè concedebat. Quæ concessio Pontificis cùm anno sequenti à frequentissimo concilio Romano nulla et irrita declararetur, nova inde oriebantur bella. Interea Paschali anno sæculi decimo octavo succedebat Gelasius secundus; pro parte

verò Imperatoris antipapa eligebatur Burdinus. Gelasio post annum Calixtus secundus subrogabatur, qui Burdini schisma extinxit, atque ut antiquum bellum de *investituris* inter Sacerdotium et Imperium finiret, magno zelo laborabat *(ib.* 331 *ad* 337 *)*.

§ III. Tandem anno vigesimo secundo in Vormiensibus Imperii comitiis perfecta pax mutuis Imperatorem inter et Pontificem pactis constituta est. Imperator *investituram* per baculum et annulum abdicavit, et electionem ac consecrationem præsulum liberam ecclesiis reliquit. Pontifex verò electiones episcoporum et abbatum regni Teutonici coram Rege fieri, et electum *regalia* seu dominium temporale à Rege per sceptrum accipere, omniaque officia et obsequia, quæ Regi iure debeantur, præstare permisit et probavit *(ib. n.* 337 *et* 338 *)*.

§ IV. Hæc pacta, quæ *transactio calixtina* vocari solent, in generali concilio Lateranensi primo, anno vigesimo tertio, rata habebantur. Huius autem concilii viginti duo canones extant gravissimi : quorum unus est qui *Dei treguam* servari iubet; et alius qui *cruciatis* militibus indulgentias concedens, declarat ad bellum sacrum Palæstinæ proficisci, operibus pœnitentiæ laboriosis annumerandum esse. Calixto anno vigesimo quarto morienti, Honorius secundus vir mansuetudine et morum sanctitate spectabilis suffectus est, qui anno trigesimo moriebatur. Tunc Innocentius secundus electus fuit, simulque à factione quadam alter etiam vir sapiens dives et potens, ac populo acceptus : quapropter Innocentius in Franciam fugiebat. Ibi anno trigesimo primo Rhemis plus quàm ducentorum et septuaginta episcoporum congregabatur concilium, in quo ipsius electio rata et firma habita est, et antipapa ab Ecclesiæ communione separatus. Monachis et canonicis regularibus, non autem clericis omnibus, medici et advocati officia interdicebantur, et alia opportuna præcipiebantur. In hoc concilio primas partes habuit sanctus Bernardus, cuius zelo et auctoritate schisma ex electione Innocentii natum in eo concilio repressum, et postea omninò extinctum fuit *(ib. n.* 339 *ad* 341 *)*.

§ V. Tunc Innocentius plenâ auctoritate Romæ im-

perans, quietem publicam, ædificia, mores instaurabat, et anno trigesimo nono concilium Lateranense secundum generale convocabat. In eo Arnaldi Bresciensis errores damnati sunt; et de simoniâ, de honestate clericorum, de decimis, de parochis, de pace et *treguâ* Domini, de usurâ, de *hastiludio*, de asylo, de incendiariis, de matrimonio, de falsâ pœnitentiâ, deque aliis ad mores et Ecclesiæ disciplinam spectantibus, opportunè providebatur. In Pontificem paulò post rebellabant Romani: Innocentius anno quadragesimo tertio moriebatur, et Cœlestinus secundus et Lucius secundus eius successores brevì quoque obibant. Interea verò conabatur romanus populus Pontifici principatum civilem, et iura regalia auferre, et non nisi iurisdictionem ecclesiasticam et decimas et oblationes illi relinquere. Unde Eugenius tertius anno quadragesimo quinto electus, è Roma fugere statim coactus est; at seditione pacatâ Romam redibat. Postea per Franciam iter faciens nonnulla celebravit concilia. Anno autem quadragesimo octavo Rhemis fanaticum Eon, et Gilberti Porretani errores ex abusu dialecticæ natos damnabat: et deinde Treviris sanctæ Hildegardis visiones examinabat *(ib. n. 342 ad 347)*.

§ VI. Eugenio subrogabatur anno quinquagesimò tertio Anastasius quartus, et huic anno sequenti Adrianus quartus. Hic Friderico primo Imperatori Romam accedenti obviam venit, et Imperator stratorem se Pontifici præbuit, postquam antea ab Imperatoribus in obsequium sanctorum Petri et Pauli ita factum compertum est. Romanos in Pontificem commotos, et Arnaldi opinionibus præoccupatos, Imperator profligabat et comprimebat. Siciliæ Rex Pontifici tributum offerebat durissimis conditionibus, ut scilicet neque Pontifex legatum ad Siciliam mittere, neque ullus ex hoc regno ad Pontificem appellare, aut Romam tendere posset, nisi prævio Regis consensu: quibus pactis Pontifex non subscribere non potuit, ut infaustissimo bello finem poneret. Inter Adrianum et Fridericum quædam excitabantur dissidia, in quibus de potestate verborum *contulimus* et *beneficium* agebátur *(ib. 348 ad 350)*.

§ VII. Adriano anno quinquagesimo nono succedebat Alexander tertius, et simul antipapa quidam eligebatur, qui à Friderico imperatore protectus ecclesiam vehementer perturbabat. Alexander à Româ fugere coactus ad Franciam pergit, et Turonis anno sexagesimo tertio concilium habet. Pace verò cum Imperatore Venetiis initâ, Romam anno septuagesimo octavo magnificâ pompâ ingreditur, et anno sequenti concilium generale Lateranense tertium celebratur. De electione Papæ, de visitatione parochiarum ab episcopis, de monitionibus censuras præcedentibus, de appellatione, simoniâ, privilegiis religiosarum familiarum, honestate clericorum, pluralitate beneficiorum, usurâ, et aliis, multa sanciuntur viginti septem canonibus; quorum ultimus contra hæreticos nullâ reprehensione dignus videbitur, si attentè consideretur. Inter Alexandri tertii epistolas quædam extat ad *Præstoiannem* seu presbyterum Ioannem directa, qui Rex *Tanguti* in Tartariâ fuisse videtur. Alexandro anno octogesimo primo successit Lucius tertius, qui Veronæ concilium contra hæreticos celebravit, rationem qua eos inquirere oporteat constituens. Lucio anno octogesimo quinto succedebat Urbanus tertius, qui post biennium dum de classe in subsidium christianorum Asiæ mittendâ anxiè cogitabat, nuntio de captâ à Saladino urbe Ierosolymâ perculsus obiit. Locum Urbani ad duos menses ascendebat Gregorius octavus: et postea Clemens tertius, qui romanorum ex Arnaldi de republicâ præiudiciis natas seditiones tandem extinguebat. Anno nonagesimo primo romanus Pontifex eligebatur Cœlestinus tertius, qui Henricum sextum imperatorem coronabat, et anglos quosdam ab archiepiscopo Eboracensi *suspensionis* sententiâ punito excommunicatos, ad *maiorem cautelam* auctoritate Romanæ sedis absolvi iubebat *(ib. n.* 351 *ad* 360 *)*.

§ VIII. Ineunte anno nonagesimo octavo post mortem Cœlestini eligebatur Pontifex Innocentius tertius, qui potestatem et auctoritatem Sedis suæ multùm amplificavit. In Siciliâ liberam Pontificibus legatorum missionem, et liberas etiam appellationes ad sanctam Sedem,

sublatis anterioribus pactis, consecutus est. In Germaniâ Othonem quartum Imperatorem primò protexit: deinde verò Imperio deponi curavit. In Ioannem Angliæ Regem non modò excommunicationis, sed etiam depositionis regni sententiam tulit: Rex verò postea se Papæ subditum vel in rebus politicis fatebatur, et in signum obedientiæ illi censum annuum offerebat. In Franciâ regem Philippum Ingeburgæ uxori suæ Innocentius conciliabat; et petente Rege, duos ipsius filios ex falso matrimonio habitos ut legitimos haberi iubebat. In Bulgariam, Regis Ioannicii postulatis annuens, legatos misit, qui eum consecrarent, et coronam Regis aut Imperatoris ei concederent. In Bohemiâ ducem Primislaum Regiâ dignitate decorabat, et Regem Aragoniæ Petrum secundum Romam profectum, et regnum suum sanctæ Sedi offerentem Innocentius ipse solemniter coronabat (*ib. n.* 361 *ad* 365).

§ IX. Armeniæ patriarcham, seu ut aiunt *Catholicum*, et alios plures episcopos ad obedientiam concilii Chalcedonensis, et Ecclesiæ catholicæ communionem reduxit. Deinde anno millesimo ducentesimo quinto decimo concilium Lateranense quartum celebravit, in quo de Terrâ sanctâ recuperandâ actum est. Præterea variis canonibus errores aliqui damnati sunt, et quomodo in hæreticos animadvertendum sit, plaudentibus Principum catholicorum legatis, sancitum est. Græcorum etiam schismaticorum reconciliatio procurabatur, et ad tollendos abusus, atque ad morum disciplinæque reformationem multa statuebantur. Demum fuit Innocentius in labore assiduus, in victu et habitu modicus, bonum Ecclesiæ semper vigilans, in aulâ suâ reformandâ strenuus, in iure eruditissimus, et moriens anno sexto decimo multa in scriptis suis prudentiæ, scientiæ et pietatis monumenta reliquit (*ib. n.* 366 *ad* 376).

§ X. Toto sæculo duodecimo nullum negotium romanis Pontificibus tantæ curæ fuit, quàm *cruciatæ*, seu bella sacra Orientis, de quibus aliquid dicendum est. Considerans sanctus Gregorius septimus aliquos romanos Pontifices religionis causâ Constantinopolim profectos

fuisse, idem iter cum valido exercitu facere peroptabat, ut Imperatori constantinopolitano, et christianis etiam sub maurorum iugo viventibus opem ferret; plures in bonum Ecclesiæ ex hoc itinere fructus secuturos confidens. Rem verò tanti momenti perficere non potuit. Postea Petrus Eremita è Ierosolymis Europam regressus, variaque regna percurrens, christianorum animos desiderio subveniendi Palæstinæ fidelibus ubique inflammabat. Anno supra millesimum nonagesimo quinto, Imperatoris constantinopolitani legati concilio Placentino aderant, in nomine Redemptoris, quem græci et latini adorant, suppliciter exorantes, ut validam militum manum in auxilium christianorum orientalium mitterent contra mahometanos iam ipsi urbi Constantinopoli imminentes. De tam gravi negotio tum illud concilium, tum etiam Claromontanum paulò post celebratum maturè agebant (*ib. n.* 377 *et* 378).

§ XI. Urbanus papa secundus in hoc concilio vehementi oratione populos europæos allocutus, illorum esse monebat expeditionem Orientis aggredi, non modò ut amico Imperatori constantinopolitano, amicisque Palæstinæ fidelibus auxilium præstarent, verùm etiam ut propriæ ipsorum saluti consulerent. Nam si urbem Constantinopolim mahometani tandem occuparent, timendum erat ne, rapidi torrentis more, brevi tempore totam Europam strage et morte inundarent. Populis etiam mahometanis continendis, et eorum in christianos audaciæ frangendæ opportunum fore observabat, eos in propriis laribus expugnare, seu à provinciis christianis ad mahometanas bellum transferre. His rationibus et aliis, quæ ex illius temporis moribus efficaciam sumebant, bellum decretum est, et illius milites crucem in veste externâ ferre iubebat concilium: unde *cruciatæ* nomine ipsa expeditio significabatur (*ib. n.* 379).

§ XII. Vix credi potest quot et quàm numerosæ militum *cruciatorum* copiæ ex diversis provinciis ab anno millesimo nonagesimo sexto expediebantur. Qui sub Petro Eremitâ, Goteschalco presbytero, aut similibus ducibus iter faciebant, ferè omnes infeliciter peribant,

aut vexilla deserebant : ex iis rarissimi Constantinopolim pervenere. Qui autem à viris in militiâ expertis debito ordine et disciplinâ ducebantur, minori damno populorum itineris, et commodiùs etiam pertransibant : Antiochiam Syriæ anno nonagesimo octavo occupabant ; et sequenti Ierosolymam oppugnabant, atque hostili murorum ascensu ferè totum mahometanorum exercitum iugulantes, subiiciebant. Post tam cruentum prælium milites illi profusis lacrymis loca sancta devotè ac piissimè visitabant. Sic anno millesimo nonagesimo nono christianorum regnum Ierosolymitanum incipiebat : quod debile ab initio, atque continuis inter ipsos cruciatorum duces dissidiis, turbidisque et inconsultis ferè omnibus in mahometanos expeditionibus, viribus iugiter decrescebat (*ib. n.* 380 *ad* 384).

§ XIII. Secundam *cruciatam*, seu novam magni nominis expeditionem ab Occidente sub ducibus Rege Franciæ et Imperatore Germaniæ promovebat sanctus Bernardus, varias provincias visitans, et ubique magnâ eloquentiæ vi, et miraculis etiam viros omnes fortes vehementer hortabatur, ut cruce ad illam expeditionem armarentur, felicissimos eventus magnâ fide vaticinatus. Anno centesimo quadragesimo septimo supra millesimum Imperator et Rex, uterque validissimo cum exercitu, Palæstinam profecti sunt : tristissimus verò fuit utriusque expeditionis exitus; quod perditis christianorum moribus sanctus Bernardus tribuebat (*ib. n.* 385 *ad* 387).

§ XIV. Inde res christianæ Palæstinæ in peius semper ruebant. Contra verò Saladinus Sultanus Ægipti, fortis et peritus miles, novis in dies viribus se roborabat, donec tandem anno millesimo centesimo octogesimo septimo, urbe Ierusalem honestis conditionibus à christianis deditâ, Ierosolymitanum regnum finitum est. Tam infaustâ notitiâ vehementer commotis christianis occidentalibus, novæ militum *cruciatorum* turmæ expediebantur, præcipuè à Regibus Franciæ et Angliæ, et fortem exercitum imperator Fridericus ipse ducebat. Hinc anno sæculi nonagesimo Acram seu Ptolemaidem munitissimum et utilissimum castellum christiani occupabant. Mortuo post triennium

Saladino, meliori in spe occidentales erant, et anno nonagesimo sexto tres numerosissimos exercitus propè Ierusalem congregarunt. At verò propter perpetuas inter ipsos cruciatorum duces dissensiones, summam disciplinæ militaris in hisce agminibus perturbationem, latinorum in Palæstinâ commorantium malam fidem, aut alias similes causas rarò deficientes, Europam, quin aliquid contra mahometanos confecerint, imò nec tentaverint, redierunt (*ib. n.* 388 *ad* 390).

§ XV. Post annos duos Innocentius papa novam *cruciatam* magno labore et auxiliis promovere incipiebat: ingens Francorum numerus crucem sumebat, et anno secundo sæculi tertii decimi Venetiis inde navigaturi coibant. Cæterùm inconsulto, imò etiam repugnante Pontifice, non Ierosolymam contra mahometanos, sed contra christianos Orientis Constantinopolim pergebant; et hanc urbem, et Imperii nomen et partem in ditionem suam Franci redigebant; unde multa mala reipublicæ christianæ provenisse nimis certum est (*ib. n.* 391 *ad* 393).

§ XVI. Ex his Palæstinæ bellis tres religiosæ familiæ, quæ militiam profitebantur; nempè *Templarii*, *Hospitalarii* sancti Ioannis, et *Teutonici* natæ sunt. *Templariorum* præcipuus scopus erat vias publicas à latronibus et perditis viris purgare ad peregrinorum securitatem. Horum regulam scribebat sanctus Bernardus, et vitæ religiosæ ac militaris simultaneam professionem commendabat. *Hospitalarii* sancti Ioannis in sedulam peregrinorum infirmorum curam incumbebant. Et Teutonici, etiam *hospitalarii*, eos infirmos teutonicos, seu germanicos curabant, qui francam seu francorum linguam nesciebant (*ib.* 394 *et* 395).

§ XVII. Tam in Palæstinâ quàm in Syriâ, latinis Ierosolymis et Antiochiæ imperantibus, ecclesiastici viri à sanctitate morum, zelo, prudentiâ et doctrinâ, quæ personarum, rerum et locorum circumstantiæ exigebant, immensùm plerumque distabant. Alexandriæ paucissimi erant hoc sæculo catholici, et ab hæreticis et mahometanis plus solito vexati. Constantinopolitani imperatores

Commeni catholici ac pii visi sunt: francis verò urbem occupantibus, perpetua inter clericos francos et venetos, inter legatos et patriarchas Constantinopolis, clericos etiam inter et laicos dissidia super Ecclesiæ beneficiis, redditibus aliisque bonis, et latinorum etiam ferè omnium mores corruptissimi, Constantinopolitanæ ecclesiæ maiorem luctum quàm lætitiam, aucto catholicorum numero inferebant (*ib. n.* 396 *ad* 398).

§ XVIII. Sed ad nostram Hispaniam accedamus, in qua salubriores et copiosiores ex militari fortitudine et pietate christianâ fructus sæculo duodecimo Ecclesia collegit. Duæ religiosæ ac militares familiæ, nempè quam sanctus Raymundus ordinis Cisterciensium abbas, Calatravæ castellum propugnaturus, instituit, et illa sancti Iacobi, quarum milites etiam religioso more vitam communem agebant, in mauros strenuè dimicarunt. Reges Hispaniæ, præcipuè quatuor Alphonsi nomine, nempè Aragoniæ primus seu *Prœliator*, Castellæ et Legionis septimus seu *Imperator*, octavus et nonus, plura oppida et longos terrarum tractus è maurorum potestate recuperarunt (*ib.* 399 *et* 400).

§ XIX. Et tamen Alphonsi Prœliatoris, et noni seu Legionensis, expeditiones in mauros multùm remorabantur longa et quasi civilia bella ex eorum matrimoniis orta; quæ post aliquot annos vitæ maritalis nulla romanus Pontifex ob cognationem declarabat. Ut iure mireris impedimentis matrimonii, quibus nunc levi aut nullâ de causâ personæ humili conditione facillimè solvuntur, Reges, vel christianorum regnorum pace efficaciter exigente, solutos non fuisse; neque tolerata matrimonia, quibus cassatis innumera mala Reipublicæ et Ecclesiæ sequebantur (*ib.* 401 *et* 402).

§ XX. Plura sæculo duodecimo concilia in Hispaniâ celebrata sunt, quorum quatuor indicabimus. Ovetense anno quinto decimo contra furta et pro asylo: Palentinum anno vigesimo nono, in quo plura circa mores præcepta sunt: Tarraconense anno octogesimo, iubens in posterum annos à Nativitate Domini numerari; et Gerundense anno nonagesimo septimo, in quo Rex Ara-

goniæ hæreticos omnes è suo regno expulit (*ib. n.* 403).

§ XXI. A fine sæculi præcedentis ad annum circiter quadragesimum celebris erat in Hispaniâ Compostellanus episcopus Didacus Gelmirez: tum quia in dissidiis domûs Regiæ, et regni Gallæciæ civilibus motibus primas partes agebat: tum etiam quia ecclesiam suam redditibus et honoribus amplificari, et ad dignitatem metropolis evehi curavit. Inter Toletanos episcopos huius sæculi Martinus Lopez de Pisuerga sanctitate et scientiâ eminebat: inter Tarraconenses verò etiam virtutibus politicis sanctus Ollegarius. Conchensis ecclesia sancti Iuliani doctrinâ et exemplis mirificè quoque illustrata est. Magnus fuit hoc sæculo insignium sanctitate virorum hispaniensium copia: sic v. g. sancti Dominici Silensis tempore alii quatuor vivebant ordinis *Benedictini* sancti abbates. Præterea sanctus Dominicus Calceatensis, et sanctus Ioannes de Ortega, zelo planandi vias, et infirmos peregrinos curandi eminebant; et ut cæteros omittam, hoc sæculo vixerunt sanctus Isidorus agricola, et eius uxor sancta Maria (*ib. n.* 404 *ad* 407).

§ XXII. In Franciâ novæ hæreses, Philippi Augusti divortium, *cruciatæ*, electiones antipaparum, et frequentes intestini turbidique motus, præcipuè super electionibus episcoporum, ac monasteriorum privilegiis, convocandorum plurium conciliorum occasionem dabant: in quibus etiam contra simoniam, bonorum Ecclesiæ usurpationem, et cleri incontinentiam canones statuebantur. Singulari tamen memoriâ dignum est, quod anno millesimo ducentesimo duodecimo Parisiis celebratum est. Huius concilii canones in quatuor partes divisi, de vitâ honestâ cleri, de officiis religiosorum, monachorum et prælatorum, ac de variis disciplinæ morumque articulis multa opportunissimè sanciebant. Ordo carthusianus Anselmum, Hugonem, aliosque sanctos episcopos ecclesiis Grationopolitanæ, Bellicensi, aliisque dedit. Sanctus Guillelmus Bituricensis zelo infatigibili et ardenti charitate ac mansuetudine peccatores quærens, monens, reprehendens, et de æternis veritatibus instruens, innumeros convertebat (*ib. n.* 408 *ad* 413).

§ XXIII. Cùm episcopatuum et abbatiarum vacantium redditus ad Reges Franciæ et Angliæ pertinere crederentur, nimium differri solebat successorum nominatio; et ecclesia Cantuariensis iam diu vacabat, cùm ad eam regendam sanctus Anselmus, etsi multis lacrymis et argumentis ex animi demissione natis contrà nitens, electus et consecratus est. At non multò post Regis gratiam amisit; quapropter ab insulâ egrediebatur, et episcopatum dimittere volebat: Romanus autem Pontifex omninò vetabat. Rege defuncto, successori conciliabatur; et anno secundo sæculi duodecimi notabile concilium Londini habebat, et ob causam investiturarum iterum ab insulâ emigrabat. Pace tandem restitutâ, ad suam sedem redibat, clericos concubinarios insectabatur, et præclara scripta moriens posteritati reliquit (*ib. n.* 414 *ad* 418).

§ XXIV. Multa deinde concilia præsidentibus legatis Pontificiis in Angliâ celebrabantur. Sanctus Guillelmus Eboracensis episcopus, instante sancto Bernardo, episcopatu depositus fuit; per mortem verò huius sancti viri et Eugenii tertii sententia in Guillelmum lata ab Anastasio papa rescissa fuit, et ipse suæ sedi tunc vacanti restitutus. Irlandiæ seu Hiberniæ ecclesiam reformabat sanctus Malachias Armacanus archiepiscopus: hanc verò insulam Henricus secundus Angliæ Rex ab Adriano quarto romano Pontifice, quasi omnium insularum domino, ad id Romam misso Ioanne Sarisberiensi, petivit: quòd facilè concessit Adrianus; eâ tamen conditione appositâ, ut Rex christianam religionem protegeret (*ib. n.* 419 *ad* 424).

§ XXV. Henricus iste quibusdam novis manichæis à concilio Oxoniensi declaratis hæreticis, flagellis, notâ in fronte inustâ, et exilio mulctatis, ab hac peste Angliam liberavit. In rebus tamen ecclesiasticis sui regni nimis dominari volens, magnos excitavit tumultus. Thomam Beket, cancellarium suum, etsi renuentem, Cantuariensem episcopum eligi curavit; et Thomas mox ut consecratus fuit, in victu et habitu modestiam monachorum æmulabatur, austerissimam sanctissimamque vitam ducens. Cùm verò usurpationem bonorum

Ecclesiæ lamentaretur, et ecclesiarum iura defenderet, protinùs Regi exosus factus est (*ib. n.* 425 *et* 426).

§ XXVI. Exigebat Rex ab episcopis iuramentum seu promissionem regales consuetudines servandi. Thomas, quamquam eo nomine quædam intelligi sciebat quæ minùs æqua et iusta existimabat, consuetudines tamen servare pollicebatur, hæc verba addens *salvo ordine episcopali*, quæ in formulâ iuramenti fidelitatis Regi Angliæ ab episcopis præstiti quoque continebantur. Hanc conditionem tolerare nesciebat Rex, et inde in summas angustias actus Thomas, ab insulâ enavigabat : episcopatum in manu Pontificis pro bono pacis dimittere frustrà conatur : variis viis Regi conciliari satagit, et tandem coram Rege Franciæ cum Henrico conversatur, et amicitiam renovant. Ad suam ecclesiam protinùs redit. At cùm antiqua inter episcopos Cantuariensem et Eboracensem dissidia recrudescerent, in ipsâ ecclesiâ cruento martyrio trucidatus est anno supra millesimum centesimo septuagesimo, magno cum totius populi atque ipsius etiam Regis luctu (*ib. n.* 427 *ad* 436).

§ XXVII. Irlandiæ ecclesiam sub Henrico secundo Christianus episcopus Lismoriensis, et sanctus Laurentius Dublinensis illustrabant. In Angliâ circa finem sæculi Hugo Lincolniensis episcopus præclara non sanctitatis modò sed constantiæ et ardentis zeli exempla dabat. In Germaniâ dum inter Henricum quartum et sanctum Gregorium septimum eiusque immediatos successores atrox bellum gerebatur, non deerant illustres sanctitate viri, qui Henrico ut Imperatori amanter et fideliter inserviebant, et simul romano Pontifici in rebus sui iuris obtemperabant. Hos inter eminebat sanctus Otho Bambergensis episcopus, qui summâ patientiâ et prudenti zelo Pomeraniam visitans, christianam fidem feliciter in eâ seminabat (*ib. n.* 436 *ad* 438).

§ XXVIII. Eodem sæculo duodecimo non modò ministrorum Ecclesiæ prædicatione, sed etiam militaribus expeditionibus extendebatur res christiana per varias Aquilonis provincias. Sanctus Ericus seu Henricus Sueciæ Rex Finlandiæ populos prælio sibi subiectos compellebat,

ut evangelium liberè prædicari permitterent, et sanctus Henricus Upsalensis episcopus varias in eâ regione ecclesias erigebat: uterque verò à paganis martyrio coronatus est. Sed et Daniæ Reges inter Sclavones, cæterosque gentiles populos fidei prædicationem protegebant; et ante finem sæculi Absalon archiepiscopus Lundensis institutus, et episcopatum Roschildiensem, populis instantissimè expetentibus, retinens, in Livoniâ et vicinis regionibus conversionem gentilium efficaciter promovebat (*ib. n.* 439 *ad* 442).

§ XXIX. In expeditionibus contra gentes, et præcipuè contra mauros, fovendis et dirigendis, multùm laborarunt religiosæ quædam familiæ, ut Cistercienses et Præmonstratenses. Monasterium Cistercii labente sæculo undecimo Robertus et socii fundaverant, et duodecimi anno tertio decimo sanctus Bernardus ingrediebatur, qui non multò post Claravallense erigebat. Bernardus austeritate vitæ, sanctitate morum, scientiâ et eloquentiâ summam omnium venerationem sibi conciliabat, et à romanis Pontificibus et Regibus, quasi Divinæ voluntatis interpres, et Spiritûs Sancti oraculum summo honore habebatur. Inter Claravallenses et Cluniacenses monachos super observantiâ regulæ sancti Benedicti quædam disputabantur; et cùm Robertus monachus è Claravallo Cluniacum recessisset, ad ipsum celeberrimam epistolam Bernardus scribebat. Sanctus iste Claravalli mores tuebatur; et Cluniaci Petrus Venerabilis: ambo autem, ut verè sancti, intimo amicitiæ fœdere iuncti disputabant. Bernardus ad ardua Ecclesiæ et reipublicæ negotia undique vocatus, frequentia et longa itinera facere cogebatur: in omnibus autem oppidis, per quæ transibat, ad morum reformationem et fidei constantiam privatim et publicè omnes hortabatur, et contra clericorum in victu et habitu ostentationem seu luxum vehementer declamare solebat: ecclesiis et populis pacem restituebat: Aquitaniæ ducem oratione, regulis alienâ, cum episcopis sibi subditis reconciliabat; et nova monasteria erigere, atque monachos ad sanctiorem vitam perducere nunquam cessabat. Eloquentissima, et doctrinâ cœlesti plena sunt omnia eius

scripta : libri autem *de Consolatione* ad Eugenium papam tertium singulari laude digni haberi solent (*ib. n.* 443 *ad* 456).

§ XXX. Magno etiam zelo reformandorum morum ardebat sanctus Norbertus, qui pœnitentiam per varias regiones iugiter prædicabat, ordinem canonicorum Præmonstratensium Ecclesiæ utilissimum instituebat, et archiepiscopus Magdeburgensis consecratus pauperrimè et austerissimè vixit, atque in communibus Ecclesiæ et Imperii negotiis, et in subditorum suorum sanctificatione ad mortem usque indefessus laboravit. Aliæ quoque formabantur religiosæ familiæ sæculo duodecimo : inter quas illa invenitur à Roberto ab Abrisselis fundata, cui, etsi pluribus ecclesiasticis viris constanti, raro quidem exemplo, mulier abbatissæ nomine præsidebat. Sed iam de quibusdam scriptoribus ecclesiasticis sæculi duodecimi memoriam faciamus (*ib. n.* 457 *ad* 561).

§ XXXI. Ibo Carnotensis collectionem canonum nomine *Decreti* scripsit, et plures etiam utilissimas epistolas. Algerius cluniacensis *de Eucharistiâ* præclarè disseruit. Sancti Petri Venerabilis multa scripta lectu digna supersunt. Guiberti etiam abbatis Nonigenti, qui in tractatu *De reliquiis* graviter prudentissimèque de cultu earum loquitur, et de reali præsentiâ Domini in Eucharistiâ. Hildebertus archiepiscopus Turonensis in scriptis suis plurium dogmatum traditionem continuavit. Abbatis Ruperti celebris est liber *de Divinis officiis*, et Hugonis de sancto Victore tractatus *de Sacramentis*. Tria verò opera huius sæculi celebriora sunt *Historia ecclesiastica* Petri Comestoris, *Sententiarum libri* Petri Lombardi archiepiscopi Parisiensis, et Gratiani monachi *Decretum*, seu concordia canonum discordantium. Etiam Ioannes Sarisberiensis vitam sancti Thomæ Cantuariensis, et alia scripsit : Guillelmus archiepiscopus Tyri historiam sui temporis, et Hugo Eterius contra græcos (*ib. n.* 462 *ad* 466).

CAPUT X.

Observationes quædam super ætate tertiâ.

De corruptione morum 1. De litteris græcis et romanis 2. Scholæ christianæ tenebris ignorantiæ obviabant 3. Doctrinæ depositum integrè conservatum 4. Quædam in disciplinâ mutabantur 5 : ut in administratione baptismi, et in Missarum crebritate 6. Vigebat observantia erga veritates æternas 7.

§ I. Quæ de tertiâ Ecclesiæ ætate hactenùs indicavimus, attentè consideranda sunt, ut accuratam illius notionem habeamus. Ante omnia quisnam fuerit Ecclesiæ status in singulis regnis christianis sæculis septimo, octavo, nono, decimo, undecimo et duodecimo, diligenter observandum est. Inde facilè colligetur ex irruptione et dominio gentium barbararum, et ex continuis bellis inter diversas nationes, et inter provincias, imò inter urbes aut populos eiusdem gentis, magnam corruptionem in moribus emanasse. Nihilominùs colligendum quoque est totâ hac ætate ingentem semper fuisse virorum ac mulierum numerum, qui ad leges et consilia Evangelii accuratè vivendi rationem conformabant, plurimosque antistites, qui contra corruptos mores vehementi zelo clamabant, et aliquod tanto malo remedium afferre satagebant *(ib. n. 467 ad 469)*.

§ II. Neque negari potest barbarorum irruptione litterarum græcarum et romanarum, veræ eloquentiæ, logicæ etiam, pretium ac proinde culturam et exercitium, apud potentes viros magni non fuisse. Nihilominùs monachi et alii eorum sæculorum sapientes viri in transcribendis etiam oratoribus, philosophis et poëtis, in-

defessè laborabant; et indubium est constanti et improbo sapientum illius ætatis litterarum amori et labori etiam deberi, quòd profanæ antiquitatis scripta servata sint, aut sub barbarorum dominio sustentata litterarum, quæ nostrâ hac ætate adeò vigent, radices sive fundamenta *(ib. n.* 470 *et* 471 *).*

§ III. Præterea ut sub iugo barbararum gentium, urbes et vicos occupantium, et antiquas litteras, scientias, artes ac linguas contemnentium, aliqua earum notitia servaretur, magno quoque usui christianæ scholæ fuerunt. Licèt enim tempore Cassiodori non essent in Occidente, ne Romæ quidem, scholæ publicæ ecclesiasticæ; domesticæ tamen scholæ episcopales, parochiales, et monasticæ, quas strages in litterarum Divinarum campis barbarorum irruptio fecisset, ex parte cavebant aut reparabant. Huiusmodi scholas in Hispaniâ, Angliâ et Hiberniâ tunc fuisse conspicimus: easque in toto suo Imperio Carolus Magnus augebat perficiebatque: imò in suo quoque palatio unam erigebat. In Italiâ erant etiam antiquæ et celebres, ex quibus magni nominis magistri francos et anglos docturi egrediebantur. Postea Lateranensia concilia tertium et quartum in omnibus ecclesiis cathedralibus scholas ecclesiasticas erigi constituebant *(ib. n.* 471 *).*

§ IV. Profectò barbarorum irruptionem non litteris modò græcis ac latinis, sed scientiis etiam ecclesiasticis plurimùm obfuisse, nemo est qui dubitet: nunquam tamen defuere ecclesiastici viri, qui iuvenes edocerent, doctrinæ catholicæ depositum integrum sequenti progeniei transmitterent, atque litterarum etiam profanarum quædam semina, quæ posterioribus sæculis seduiò exculta opimos fructus allatura erant. Inde fidei dogmata acerrimè semper fuere propugnata, et Elipandis, Roscelinis, Abelardis, aliisque novos errores inducentibus silentium factum. Imò etiam contra mahometanos, quamquam nec verbis de rebus fidei conferre, nec scriptis, sed solùm armis certare vellent, sæpiùs disputatum est *(ib. n.* 472 *et* 473 *).*

§ V. In hac tertiâ ætate quasdam in disciplinâ seu

gubernatione Ecclesiæ mutationes novimus, quæ non facilè improbandæ sunt. Auctoritas romani Pontificis ad plura negotia passim extendebatur et maiori vi quàm antea: hac tamen ratione incontinentia cleri, simonia, gravissimique abusus, ut in sanctorum et reliquiarum cultu, compescebantur. In Occidente ex divitiis et potestate ecclesiasticorum præsulum quædam nascebantur mala; at multa etiam in Oriente, eò quòd ecclesiastici viri æquo minus in honore haberentur. Romani Pontificis atque episcoporum etiam electio novâ et abs dubio commodiori methodo fiebat, et apud ecclesiarum cathedralium canonicos vita communis utiliter instituebatur. Monachi sæpè vel inviti divitiis affluebant; atque plura monasteria in unam congregationem coibant, et generalia comitia seu *capitula* celebrabant *(ib. n.* 474 *ad* 483*)*.

§ VI. Hac ipsâ ætate tres circa baptismum consuetudines, scilicet pueros recens natos quolibet die baptizandi, baptizandi etiam non per immersionem sed per effusionem, atque presbyteros ut ordinarios ministros hoc sacramentum solemniter ministrare, generales tandem fuisse videntur. Circa Eucharistiam inter græcos et latinos de pane quo consecranda sit, vehementer disputabatur: contendentibus græcis non nisi fermentato, latinis verò etiam azymo consecrari posse, et quidem magis ad exemplum Domini accommodato. In Occidente altiùs clamabat Ecclesia contra sacrilegam paucorum novitatem, qui Dominum verè in Eucharistiâ præsentem adesse negabant. Missæ privatæ in dies frequentiores erant, et mos offerendi eas pro defunctis magis ac magis invalescebat. Inde etiam disciplinam arcani in fine huius ætatis iam omninò cessasse colligitur *(ib. n.* 484 *et* 485*)*.

§ VII. Circa pœnitentiam non ea variatio invecta est, quæ à pluribus obiici solet. Matrimonii indissolubilitas et impedimenta firmiùs quàm antea propugnabantur. Devotis peregrinationibus, sanctorum et reliquiarum ac imaginum cultui, aliisque verè ecclesiasticis piisque moribus, abusus sæpè miscebantur; at non propter abusus consuetudines ipsæ damnandæ sunt. Ecclesia non nisi purgationem canonicam in iudiciis exigebat; populi

tamen antiquas illas vulgares ignis, aquæ et duelli tenaciter conservabant ; et aliqui episcopi, dum eas frustrà prohibere conabantur, ipsas moderari, et à circumstantiis rationi aut christianæ legi magis adversis secernere, et ita tolerare satiùs duxerunt. Præ oculis tamen semper habendum est, in hac ætate grassantes abusus magnum erga veritates æternas timorem aut respectum sæpè supponere, vel indicare *(ib. n. 486 ad 496).*



ÆTAS QUARTA

A MORTE INNOCENTII TERTII AD FINEM USQUE TRIDENTINI CONCILII.



CAPUT I.

De inimicis Ecclesiæ.



Ætatis quartæ adumbratio 1. *Iudæos Papæ defendunt* 2. *In Prussiâ, Lithuaniâ et Livoniâ idololatria extinguitur* 3. *Tartari in christianos sæviunt* 4 : *spes conversionis eorum evanescit* : *martyres* 5. *Inquisitionis tribunal* 6 : *à calumniis vindicatur* 7 : *etiam circa librorum prohibitionem* 8. *Famosiores hæretici* : *Wicleffus* 9 : *Ioannes Hus* 10 : *Lutherus Reformationis dux* 11 : Protestantes 12 : *Anabaptistæ* : *Zuinglius* 13. *Calvinus et Socinus* 14. *Reformati de quibusdam conveniunt* 15.

§ I. Ignorantiæ tenebras, quæ tertiam Ecclesiæ ætatem ab aliis præcipuè distinguunt, consequebatur in quartâ animorum innovandi desiderio agitatorum fervor, ex quo plures hæreses ebullire videbantur. Et quemadmodùm ætate tertiâ, non obstantibus ignorantiæ tenebris, veræ doctrinæ lux in totâ Ecclesiâ semper vividè fulsit ; ita vehementiores novitatis æstus nunquam in quartâ

debitam fidei maiorum nostrorum et Ecclesiæ auctoritati venerationem penitùs infringere potuerunt. De hac verò ætate nunc acturi, primò de Ecclesiæ inimicis, de ministris et gestis ipsius, et postea speciatim de concilio Tridentino nonnulla dicemus.

§ II. Iudæi ferè in omnibus christianis regnis, præcipuè *cruciatarum* tempore, variis modis vexabantur. In Franciâ initio sæculi quarti decimi omnes Regis iussu mittebantur in carcerem, et nisi christiani fierent è regno eiiciebantur, bonis eorum omnibus fisco adiudicatis. Post decennium verò licentiam redeundi à Rege ingenti pecuniâ sibi comparabant. Postea ab Hispaniâ Reges *Catholici* Ferdinandus et Elisabetha eos exulare iubebant, datâ tamen facultate bona sua etiam immobilia vendendi, et pretium cum omnibus rebus suis secum ferendi. Romani Pontifices librum *Talmud* prohibebant, et ne christianos iudæi pervertere possent, attentè vigilabant: iudæos tamen contra iniustos populorum motus tuebantur: et aliqui etiam ex sapientioribus christianam fidem professi sunt; quorum laudare sufficiat Nicolaum de Lyra, et Paulum à Sanctâ Mariâ episcopum Burgensem (*Lib. XI. n.* 1 *ad* 4).

§ III. Magnus erat adhuc in borealibus Europæ regionibus, præcipuè in Lithuaniâ, Prussiâ et Livoniâ, idolis servientium numerus; qui cum pacificos Evangelii præcones immaniter sæpè trucidarent, plures *cruciatæ*, seu bella sacra, in eos populos motæ sunt, ut saltem iis liberè posset Evangelium prædicari. Ita sæculo tertio decimo, Ruthenis idololatris longo christianorum bello oppressis, eorum primi duces fidem amplectebantur, et inde è Prussiâ atque è Livoniâ paganitas evanescebat. Sæculo sequenti feliciùs Lithuania tota christiana facta est. Duce enim Iagellone, ut Heduwigem Poloniæ Regis filiam et hæredem uxorem acciperet, christianam fidem recipiente, Lithuanorum ignis perpetuus extinctus est, sacra nemora cæsa, et eorum serpentes enecatæ, quin ullum ex malis, quæ inde Lithuani timebant, eveniret: unde christianam religionem Regis exemplo nobiles, et

deinde ferè omnis populus, statim profitebantur *(ib. n. 5 et 6).*

§ IV. In Asiâ Tartari mahometismum facilè amplexi, in christianos non raro sæviebant, atque circa medium sæculi tertii decimi in Russiam, Poloniam, Silesiam, Hungariam, et alias provincias irrumpentes, omnia christianorum sacra irridebant, diripiebant, vastabant, christianosque ipsos passim ad mortem usque immanissimè torquebant. Romani Pontifices eorum ferociam emollire cupientes varias religiosorum virorum legationes ad eos miserunt; et ab eorum imperatore Abaga, cum christianis contra mahometanos fœdus inire contendente, ad romanum Pontificem anno septuagesimo quarto numerosa legatio venit *(ib. n. 7 et 8).*

§ V. Inter has negotiationes, fidei christianæ apud Tartaros propagandæ quandoque erat spes. Omninò tamen sensim evanescebat, maximè ab initio sæculi quinti decimi, quando famosissimus Tamerlanus non modò arte et suasione, sed barbaris etiam tormentis, christianos ad fidem abiurandam constantissimè urgebat. Plures autem christianos hac ætate martyrio coronatos fuisse, non solùm in Palæstinâ, in Tartariâ et in Calabriâ, sed etiam in Æthiopiâ, Indiâ et Americâ, dubitandum non est *(ib. n. 8 ad 10).*

§ VI. Sed iam de hæreticis ætatis quartæ nonnulla dicamus, cuius initio ad annum usque circiter millesimum ducentesimum quadragesimum bellum contra Albigenses durabat. Per id tempus Inquisitionis tribunal contra hæreticam pravitatem instituebatur. Profectò cùm hæresis crimen sit pœnis civilibus sæpè dignum, semper autem pœnis ecclesiasticis: utramque supremam potestatem, ut in illo tribunali accidit, ad hæresim cohibendam amico fœdere sociari æquum est. Inquisitores Franciæ à conciliis Narbonensi et Biterrensi primas regulas accipiebant, quibus in hæreticorum inquisitione, eorumque causis agere deberent. Atque Francia erat primum christianorum regnum, in quo Generales Inquisitores, seu qui hæreticos totius regni inquirerent, constituebantur. Postea verò etiam in Hispaniâ Inquisitionis tribunal

erigebatur : quod cùm non solùm ab inimicis Ecclesiæ, sed etiam à catholicis viris alienigenis res nostras parùm edoctis, iniustæ severitatis accusari soleat, præcipua calumniæ capita paucis verbis dissipanda sunt *(ib. n.* 11 *ad* 20 *)*.

§ VII. Ac primò quidem hoc tribunal non modò ecclesiasticum est, sed etiam regium, seu Regiâ potestate munitum. Ad reorum capturam non præcipitanter procedit; sed debitâ cautione, ne ullus innocens opprimatur. Eius carceres cubicula commoda sunt, et reis ad victum necessaria largiter ministrantur. Quòd si reis accusatores non conferuntur, gravissimæ sunt causæ, quæ quòd ita expedit demonstrant : neque ullum inde reis præiudicium nasci potest, præcipuè cùm eorum dicta cum accusatorum dictis collata utrisque exhibeantur. Pro bono ipsius rei procuratur reum sua crimina candidè confiteri; quoniam ex canonibus seu legibus ecclesiasticis tunc est pœna levior, et indulgentia facilior. Quòd verò acta omnia admodùm arcana sint, nulli reo præiudicium infert, pluribus multùm commodi, et reipublicæ abs dubio opportunissimum est. Quæstiones tormenti, etiam dum in aliis Europæ tribunalibus ferè omnibus erant frequentissimæ, in Inquisitione Hispaniæ raró fiebant, et solito moderatiùs *(ib. n.* 21 *ad* 30 *)*.

§ VIII. Nulla huius tribunalis sententia executioni mandatur, quin bis saltem causa cognita sit : nempè primò à tribunali provinciæ, ad quam reus pertinet; et postea à supremo totius regni, cui Generalis Inquisitor præsidet, et cui Consiliarii etiam quidam laici supremi Senatús regni ut iudices semper adsunt. Quosdam reos capitali sententiâ puniri, et infamiam etiam reos defunctos, et ipsorum cognatos consequi, si minùs æquum est, non ideò tamen Inquisitionis tribunal argui posset : non enim ista ex particularibus illius legibus aut usibus oriuntur; sed pœna mortis ex antiquis legibus civilibus Hispaniæ, sententia verò in defunctos et infamia in eorum cognatos, ex communibus iuris principiis. Librorum prohibitionem, etsi levibus incommodis subiectam, ex regulis tamen politicæ civilis et christianæ fieri posse, et esse plerumque

necessariam nemo dubitabit, qui pugnantium pro æquâ quidlibet loquendi et scribendi potestate clamores attentè consideret. Demum Inquisitionis sententiæ non raró in loco publico coram ingenti adstantium numero publicantur. Adest reus ipse, et actorum confectorum summarium legi solet. Semper autem summa benignitas tribunalis non modò in sententiâ, sed etiam in omnibus actis manifesta apparet. Ut proindè similes sententiarum promulgationes, quas vocant *autillos*, iusta sint Inquisitionis defensio, quæ etiam aliundè institui potest (*ib. n.* 31 *ad* 38)

§ IX. Plures fuere hæretici, qui Ecclesiam ætate quartâ perturbarunt. Stadingos, novos Circumcelliones, Pastores seu Iacobitas, Flagellantes, Ioaquimitas, Fratricelos, Apostolicos seu Dulcinistas, Waldenses, et Lolardos laudasse sufficiat. Wicleffus et Hus maiora damna Ecclesiæ intulerunt. Ille post dimidium sæculi quarti decimi primò in cleri divitias, potestatem, victûs et habitûs luxum vehementer per Angliam clamabat: deinde varios errores præsertim circa potestatem ecclesiasticam et civilem spargebat, quos duo concilia Londinensia damnabant. Hæretici discipuli eius in Regem apertè rebellabant; et Rex eorum exercitum fundebat et dispergebat, atque Wicleffitas, ut in Deum et in Regem rebelles, capitali sententiâ damnari iubebat (*ib. n.* 39 *ad* 53).

§ X. Similes errores ab initio sæculi quinti decimi docebat in Bohemiâ Ioannes Hus. Et magno sapientis nomine, compositis moribus, gravi aspectu, et singulari in concionando facundiâ et vehementiâ, factus etiam Pragensis Academiæ rector, et in eâdem urbe parochus, litteratos viros perindè ac infimam plebem contra clerum facilè inflammabat: omnem iurisdictionem externam ab Ecclesiâ removebat, et ad alios plures errores dilabebatur. Husitas Senatus urbis Pragæ continere curabat; et inde eorum furor et audacia crescebant. Postea anno quarto decimo ad Constantiense concilium accedebat Hus et eius discipulus Hieronymus Pragensis, quibus liberè accedendi ad concilium, et coram eo pro se loquendi commeatus datus fuerat. Sperabant illi suis opi-

nationibus concilio patres protinùs assensuros: contrà tamen evenit, et eas ut erroribus implicitas damnarunt. Quas cùm Ioannes et Hieronymus pertinaciter sustinere pergerent, tandem hæretici declarati sunt à concilio, et secundùm leges Imperii à magistratu Constantiensi morti adscripti. Tunc Husitarum bellum in Bohemiâ incipiebat, quod ipsi intrepidè et fortunatè gerebant. Postea in Basileensi concilio audiuntur: quamdam concordiam cum catholicis ineunt: ardens eorum furor sensim defervescit, et cum novis sectis decimi sexti sæculi tandem confunduntur *(ib. n. 54 ad 63)*.

§ XI. Quamquam Waldenses, Wicleffitæ, Husitæ, aliique plures hæretici prætextu clerum aut Ecclesiam reformandi suos errores spargere cœpissent, *Reformationis* tamen nomen non nisi sectis sexto decimo sæculo enatis tribui solet. Lutherus, ut totius *Reformationis* coryphæus, ab omnibus cœtibus qui hoc nomine gloriantur veneratus, indulgentias anno decimo septimo impugnabat: statim diversos edocebat errores; et *reformationis* nomine Ecclesiam omninò immutare, novamque efficere intendebat. Romanus Pontifex, postquam Lutherum aut errores abiurare, aut saltem tacere, variis modis incassùm conatus fuerat, plures propositiones ex ipsius scriptis extractas damnabat; et Vormatiensia Imperii comitia eum, postquam audierant, ut hæreticum haberi iubebant. Ipse tamen in dies audacior et furentior sacra omnia pro viribus interturbare non cessabat *(ib. n. 64 ad 69)*.

§ XII. Anno vigesimo nono aliquot Imperii Principes et civitates contra decreta comitiorum, seu ut aiebant *Dietæ*, in Lutherum lata protestabantur, unde oriebatur *Protestantium* nomen. Anno trigesimo in comitiis Augustanis professionem fidei, quæ inde *Confessio Augustana* dicta est, Lutherani edebant; et anno sequenti Smalcaldæ, ut novam ecclesiam seu lutheranam factionem armis et vi propugnarent, intimo fœdere iungebantur. Deinde anno quadragesimo sexto iam *Protestantes* aperto bello contra Imperatorem pugnabant: qui cùm eorum exercitus omninò profligasset, edictum promulgavit anno quadragesimo octavo, quod *Interim* vo-

catum est, quoniam eas novas opinationes et ritus indicabat, quæ interea, nempè donec generale concilium de iis pronuntiaret, in Germaniâ tolerari poterant. Tandem in comitiis seu *Dietâ* Passaviensi anno quinquagesimo tertio, et Augustanâ anno quinquagesimo quinto, *pax religiosa* sancita est, seu *Augustanam confessionem* amplectentibus liberum sui religiosi cultûs exercitium concessum *(ib. n. 70 ad 76)*.

§ XIII. Lutherus ab anno quadragesimo sexto è vitâ decesserat: innovandi tamen genius in suis discipulis superstes, et vivacissimus mansit. Et cùm eius impetus auctoritate communis magistri ampliùs non cohiberentur, plurimæ quæ ex Reformatione iam eruperant, et in dies erumpebant novæ opinationes aut hæreses, vehementiùs quàm antea inter se pugnabant, et in alios cœtus seu sectas dividebantur. Inde iam antea fanatici Anabaptistæ exierant, quorum furor in Mennonitis temperabatur. Zuinglius, etiam in Reformatione celebris, de Eucharistiâ adeò à Luthero dissentiebat, ut ex utriusque sectariis nullo modo unus cœtus coire potuisset. Zuinglii errores per Helvetiam Oecolampadii auxilio multùm diffundebantur, atque post Zuinglium in prælio occisum adhuc durabant *(ib. n. 77 ad 83)*.

§ XIV. Quas turbas Lutherus in Germaniâ et Zuinglius in Helvetiâ, etiam Calvinus in Franciâ excitabat. Calvinus autem si Luthero conferatur, quamvis ingenio et moribus dispar, viribus tamen ad nova invenienda, audacter publicanda, et constanter inculcanda, atque ad populos inflammandos ac commovendos par aut superior habebitur. Genevæ suos errores spargit Calvinus: Servetum circa Trinitatis mysterium errantem capitali sententiâ damnari iubet; et hæreticos quandoque à civili magistratu morti adscribendos esse, Theodorus quoque Beza, aliique ex Reformationis cœtibus propugnant. Calvinistæ plurimi Ambaciæ coibant contra Regem Franciæ coniurati; at conspiratione detectâ præcipui illius facinoris rei capite damnati sunt, et cæteri omninò dispersi. Errores circa Trinitatem morte Serveti non solùm non extinguebantur, sed à Valentino Gentili etiam, hac de

causâ à *Protestantibus* morti addicto, et præcipuè à fratribus Socinis, unde sectæ *Socinianæ* nomen, per diversas Europæ regiones, præsertim per Poloniam et Transilvaniam spargebantur (*ib. n.* 84 *ad* 92).

§ XV. Sectæ omnes quæ à lutheranæ Reformationis initio enatæ sunt, de quibus ætate sequenti rursùs agendum erit, quamquam inter se non discrepantes modò sed in rebus etiam gravissimis acriter pugnantes, de quibusdam tamen capitibus in eâdem erant sententiâ, ut generali Reformationis nomine omnes gloriarentur. At primò quidem, quod et Reformationis præcipuum caput erat, in ecclesiam Romanam odio furenti omnes ardebant: hoc tamen odium, ut alibi observabimus, non parùm circa nostra tempora tepuit. Omnes tamen specioso reformationis pallio novitates, quæque proprias, cooperiebant. Omnes perspicuam esse sacræ Scripturæ intelligentiam in rebus saltem necessariis clamabant, quamquam sensibus oppositis eam sæpè intelligerent. Omnes denique Ecclesiæ auctoritatem ad dogmata definienda summoperè contemnebant; neque alium veritatum fidei agnoscebant iudicem quàm ipsam sacram Scripturam, prout cuicumque visum fuerit intellectam, aliorum interpretationibus seu exponendi modis, vel communioribus et antiquioribus facilè contemptis aut damnatis. Et hæc de inimicis Ecclesiæ ætate quartâ dicta sufficiant (*ib. n.* 93).

CAPUT II.

Synopsis sæculi tertii decimi.

Inter romanos Pontifices et Fridericum secundum iterata bella 1. *Concilium Lugdunense primum* 2 : *Secundum* 3. *Factiones Italiæ : S. Cœlestinus papa* 4. *Bonifacium octavum inter et Regem Franciæ iur-*

gia 5. *Pontificum gesta excusanda* 6. Cruciatæ *S. Ludovici* 7. *De pace ecclesiæ græcæ cum latinâ: res Ecclesiæ in Oriente infaustæ* 8: *in Hispaniâ prosperæ: S. Ferdinandus: Iacobus Aragoniæ* 9: *et Petrus eius filius* 10: *concilia: episcopi insignes: eorum electio* 11. *In Franciâ S. Ludovicus: Pragmatica: concilium Tolosanum* 12. *In Germaniâ et Angliâ bella, et episcopi illustres* 13. *Ordines mendicantium, S. Dominici* 14: *S. Francisci* 15: *Carmelitarum: S. Augustini. Sanctissimæ Trinitatis, et de Mercede* 16. *Scientiarum omnium scholæ* 17. *Nonnulli scriptores* 18.

§ I. PAPÆ seu romani Pontificis statum vel officium ita à Christo institutum existimabat Gerson, ut in Ecclesiæ hierarchiâ primatum *monarchicum* seu regalem Papæ concederet. Ad hunc primatum anno ducentesimo sexto decimo eligebatur in locum Innocentii Honorius tertius; et post annos undecim Gregorius nonus, qui Fridericum secundum etiam excommunicationibus urgebat ut ad Terram sanctam cum forti exercitu pergeret, sicut iam olim promiserat. Cùm verò Imperator anno vigesimo octavo tandem proficisceretur, eo absente inter suæ ditionis populorum gubernatorem et romanum Pontificem bellum ciebatur, quod curabat Pontifex minùs cruenter geri; et plura Imperatoris castella et oppida sibi subiiciebat, donec Imperator è Palæstinâ rediens omnia recuperat, et cum Pontifice pacem init. Recrudescente discordiâ Pontifex Imperatorem excommunicabat, et illi subditos à iuramento fidelitatis absolvebat; uterque autem causam suam sparsis quaquaversùs scriptis tuebatur. Interea romanus populus in Pontificem passim commovebatur, atque militum auxilio ab Imperatore ad Pontificem misso quiescebat. Tunc publicabat Gregorius *Decretalium* collectionem à sancto Raymundo de *Peñafort* ordinatam (*Lib. XII. n.* 1 *ad* 5).

§ II. Gregorio anno quadragesimo primo succedebat Cœlestinus quartus, qui statim moriebatur; et post longum interregnum Innocentius quartus electus fuit. Tunc

antiqua romanos Pontifices inter et Imperatores discordia sopita videbatur anno quadragesimo quarto, iuratâ pace ab Innocentio quarto et Friderico. Sed non multò post Imperatorem timens Pontifex, è Româ in Franciam fugiebat, et Lugduni generale convocabat concilium. Quinque præcipua capita concilio proposuit : nempè corruptos mores novasque hæreses populi christiani, saracenorum audaciam, græcorum schisma, tartarorum immanitatem, et discordiam Pontifices inter et Imperatores, seu, ut ipse aiebat, Friderici in Ecclesiam persecutionem. Concilii canones aliqui iudiciorum ecclesiasticorum nonnullos ritus præscribebant : alii de auxilio Terræ sanctæ agebant : et præterea severissima sententia Pontificis nomine, sacro præsente concilio pronuntiata est, in qua Fridericus imperio, regno Siciliæ, et honore omni ac dignitate privatur (*ib. n.* 6 *ad* 8)

§ III. Innocentius anno quinquagesimo quarto moriebatur, eique succedebat Alexander quartus, et post septennium Urbanus quartus, qui Leodiensis archidiaconus fuerat. Hic festum annuum sanctissimi Sacramenti, quod beatâ Iulianâ suadente Leodii celebrari cœperat, à totâ Ecclesiâ feriâ quintâ post octavam Pentecostes celebrandum instituit. Initio anni sexagesimi quinti coronabatur Clemens quartus, post cuius mortem ferè triennio Romana sedes vacabat. Demum anno septuagesimo primo eligebatur Gregorius decimus, cuius convocatione concilium Lugdunense secundum post triennium celebrabatur. In eo Pontifex tria seriò consideranda commendabat; nempè græcorum schisma, miserum Palæstinæ statum, et errores ac vitia populi christiani. Quod primum spectat, legati Michaëlis Palæologi, qui constantinopolitano Imperio è francis recuperato græcam ecclesiam latinæ uniri peroptabat, litteras Imperatoris ac plurium episcoporum græcorum concilio offerebant, quibus à schismate recedere videbantur. In auxilium Terræ sanctæ redditumm omnium ecclesiasticorum ad sexennium decimæ indictæ sunt. Et de moribus ac disciplinâ multa opportunè sancita, præcipuè contra usuram, de cardinalibus in conclavi ad electionem

Pontificis claudendis, de *regaliis*, seu iuribus dominorum super ecclesias vacantes ad novas non extendendis, et de religiosarum familiarum seu Ordinum regularium multitudine minuenda (*ib. n.* 9 *ad* 14).

§ IV. Interea frequentes erant aliquarum urbium Italiæ motus in romanos Pontifices; et factiones *Guelphorum*, qui pro Pontificibus, et *Gibellinorum*, qui pro Imperatoribus stare consueverant, omnia perturbabant. Gregorio anno septuagesimo sexto decedenti, succedebant eodem anno Innocentius quintus, Adrianus quintus, et Ioannes vigesimus seu vigesimus primus: anno sequenti Nicolaus tertius, et post annos ferè tres Martinus quartus. Martinus extra Romam in factiones divisam electus, duos cardinales ad Urbem mittebat, ut cum viris nobilibus et populo de pace restituendâ agerent. Et tandem unanimiter pactum fiebat, quo Romanæ urbis et territorii gubernationem Martino romanus populus committebat pro toto vitæ suæ tempore; ita tamen ut Martinus non ratione Pontificiæ dignitatis, sed electionis populi romani, civilem gubernationem seu administrationem gereret. Hoc etiam convenit, post Martini scilicet mortem et romano populo et Papæ integrum ius ut antea permansurum. Martinus, qui Franciæ natus erat, horrendas censuras fulminabat contra Regem Aragoniæ, qui regnum Siciliæ, quod uxoris suæ erat hæreditario iure, sibi subiiciebat. Post Martini mortem anno octogesimo quinto Pontifex creatus fuit Honorius quartus; et post biennium Nicolaus quartus. Anno nonagesimo quarto eligebatur sanctus Cœlestinus, senex venerabilis, in solitudine ut verus anachoreta vivens, qui ad tantum munus præter omnium opinionem electus, solùm ne Divinæ voluntati resisteret, consecrari patiebatur: unde post quinque menses aliorum fraudibus se passim deludi observans, Pontificatu se abdicavit, factâ cardinalibus plenâ novum eligendi Pontificem potestate (*ib. n.* 15 *ad* 21).

§ V. Tunc eligebatur Bonifacius octavus, qui bullam *Clericis laicos* promulgabat potestatibus sæcularibus molestissimam: statim verò ab archiepiscopo Rhemensi mo-

nitus eam explicabat temperabatque Nihilominùs inter Philippum cognomento *Pulchrum* Franciæ Regem, iurium suorum acerrimum vindicem, et Bonifacium cruentum ciebatur bellum. Pontifex anno primo sæculi quarti decimi bullam *Ausculta fili*, et anno sequenti aliam, quæ incipit *Unam sanctam*, edebat: in quibus romano Pontifici etiam in rebus temporalibus aliquam super Reges potestatem tribuere videbatur. Rex priorem bullam publicè cremari iubebat, generalia ecclesiasticorum et sæcularium *Parlamenta* seu comitia congregabat, et ad concilium œcumenicum et legitimum Pontificem contra gesta Bonifacii appellabat. Dum verò Pontifex etiam Philippo subditos à iuramento fidelitatis absolvere moliebatur, Regis, ut videtur, iussu Anagniæ captus fuit: et quamquam tertiâ die libertatem recuperavit, non multò post animi dolore confectus interiit. Hoc autem bellum nimiam Regibus Franciæ in Pontificum quorumdam animos potestatem peperisse deinceps videbimus (*ib. n.* 22 *ad* 27).

§ VI. Bonifacius, aliique sæculi tertii decimi Pontifices, quamquam vitâ irreprehensibili, et zelo servandæ fidei et reformandorum morum ardentes: plerumque accusantur quòd in negotia civilia nimis se ingererent, et potestatem suam etiam in rebus politicis super Reges extollerent. At si considerentur illius temporis mores receptæque opinationes, Pontificum gesta excusatione digna passim invenientur. Ut enim alia præteream ¿ quis mirabitur Bonifacium octavum sibi persuasisse quòd auctoritate pontificiâ Regem Franciæ Philippum *Pulchrum* in iudicium vocare poterat, et causâ cognitâ illum regno privare, quando ipsius Philippi pater idem ius in romano Pontifice super Reges agnoverat, et sententiam privationis regni contra Petrum Aragoniæ latam non solùm probaverat, sed donationem ipsius regni à Papâ ipsi factam in *Parlamento* admiserat, et ideò Cathaloniam valido exercitu invaserat? Toto ferè hoc sæculo, seu ab Innocentio tertio ad Bonifacium octavum, pro viribus nitebantur Pontifices novas expeditiones in auxilium christianorum Palæstinæ promovere, vires tamen occidentales

in Asiâ rapidè minuebantur, præcipuè dum Coresmini, barbara gens, Terram sanctam occupabant *(ib. n. 28 et 29)*.

§ VII. Sanctus Ludovicus Franciæ Rex anno quarto postquam *cruciatam* decreverat, et ad ipsam paratus fuerat, nempè anno sæculi quadragesimo octavo, ab Aquis-mortuis cum numerosâ classe ad insulam Cyprum, et inde Ægyptum navigavit. Statim verò fortis Francorum exercitus infeliciter periit, Rex ipse captus fuit, duris conditionibus libertatem recuperavit, et ad quatuor annos in Palæstinâ ad fidelium solatium commoratus, Franciam denique rediit. Nihilominùs anno septuagesimo secundam *cruciatam* ipse ducere voluit, et in Africâ mortuus est. Æquè inutiles fuere aliæ minùs celebres expeditiones, et tandem anno nonagesimo primo munitissima *Acræ* seu Ptolemaidis arx à *Sultano* Ægipti sexaginta millibus equitum, et peditum centum millibus oppugnatâ, vi capta est; et inde nullum in Palæstinâ castellum aut oppidum sub christianorum potestate mansit (*ib. n.* 30 *ad* 33).

§ VIII. De pace Ecclesiæ græcæ cum latinâ instaurandâ ardenti quoque zelo toto sæculo tertio decimo actum est, et quidem plures ex græcis bonâ fide egisse videntur. Quæ in concilio Lugdunensi ad unionem acta sunt, in frequenti Constantinopolitano concilio anno sequenti probabantur, et patriarcha constantinopolitanus Veccus magnâ solidæ doctrinæ copiâ pacem initam verbo et scriptis defendebat. Quia tamen auxilia contra mahometanos, quæ græci expectaverant, missa à latinis non fuere; ideò antiquum odium et schisma renascebantur. Et aliunde schismaticis etiam inter se de religione pugnantibus, res christiana in toto constantinopolitano Imperio in deterius abibat. In cæteris Orientis ecclesiis maurorum potestati subiectis, erat christianorum conditio post *cruciatas* passim durior: ex hæreticis tamen Iacobitis et Nestorianis illarum regionum multi conversatione cum latinis instruebantur et convertebantur *(ib. n.* 34 *ad* 38*)*.

§ IX. Interea christiani contra mauros in Hispaniâ faustè admodùm dimicabant. Ferdinandus tertius, cu-

ius imperio Legionis et Castellæ regna unà feliciter subdebantur, Rex erat iustus, beneficus, fortis, et sanctus. Cordubam, Hispalim, et ferè totam Bæticam à maurorum potestate eripuit: Sanctium verò Lusitaniæ Regem contra fratrem ipsius protegere frustrà conatus est. Sancti Ferdinandi filius Alphonsus, cognomento *Sapiens*, antiquum gotharum legum codicem, seu *Forum Iudicum* hispanè reddebat, et novum celeberrimum legum corpus, quod *Septem Partitarum* vocant, formabat; atque scientiis illustrari totam Hispaniam variis modis satagebat. Regum etiam Aragoniæ expeditiones in mauros felices hoc sæculo fuerunt. Iacobus primus anno sæculi vigesimo nono, et ætatis suæ vigesimo primo, Maioricam insulam præcipuam ex Balearibus è mauris recuperabat, et post aliquot annos etiam florentissimum Valentiæ regnum; cuius ecclesiam protinùs instauratam, quamvis antea ad Carthaginensem seu Toletanam provinciam illa spectaverat, Tarraconensi, petente Rege, Pontifex subiiciebat (*ib. n.* 39 *ad* 43).

§ X. Iacobus in *confessarium* suum, quòd sacramentalis confessionis arcanum violasse crederet, vehementer excanduit, et in linguâ coram se feriri iussit. Postea verò et credendo *confessarii* crimen et puniendo immaturè se gessisse, in concilio Ilerdensi fassus est, et culpam suam expiare conatus. Graviùs et frequentiùs ob incontinentiam à Pontificibus reprehendebatur. Observari tamen solet, hoc vitium nec regii imperii prudentiam, nec sceptri iustitiam, nec ensis fortitudinem, nec mensæ temperantiam unquam perturbasse. Petrum Iacobi filium, cognomine *Magnum*, regno privaverat summus Pontifex: et Francorum rex Philippus *Audax* magno exercitu in Cathaloniam irrumpens, etiam Gerundam occupaverat. Mirabili tamen modo totus Francorum exercitus cum ipso Rege statim periit; quod Divinæ iustitiæ militum facinora punienti tributum est (*ib. n.* 44 *ad* 47).

§ XI. Hoc sæculo tertio decimo frequentia concilia Tarracone celebrabantur: eamque ecclesiam gubernabant Sparacus de Barca, qui Carthusianorum monachorum auxilio Waldensium errores à francis per Cathaloniam disse-

minatos radicitùs evulsit : Guillelmus de Mongri, qui Ebusam insulam è mauris recuperavit; aliique illustres antistites. Toletanam regebant Rodericus Ximenez scientiâ et virtute insignis, aliique regio sanguine nati, ac prudentiâ et pietate conspicui. Sanctus Bernardus *Calvó*, primus monasterii de Sanctis Crucibus abbas, Vicensem seu Ausonensem ecclesiam illustravit; atque Giennensem insignis martyr sanctus Petrus Paschasius. In provinciã Tarraconensi canonicorum collegia seu *capitula* episcopos suos liberè eligebant, et archiepiscopus de consilio canonicorum Tarraconensium electionem confirmabat, et electum postea consecrabat. Archiepiscopi Tarraconensis electioni non modò eiusdem ecclesiæ canonici, sed episcopi omnes eiusdem provinciæ cum suffragiis intererant. Plures hoc sæculo fuere in Hispaniâ, maximè in monasteriis, viri ac feminæ sanctitate præclari (*ib. n.* 48 *ad* 55).

§ XII. Franciam ab anno vigesimo sexto ad septuagesimum æquissimè gubernabat sanctus Ludovicus, qui de regno suo litteris illustrando, et iustitiâ regendo summè sollicitus, etiam aliunde propriæ et aliorum æternæ saluti maximè attendebat. Dum ad *cruciatas*, de quibus antea locuti sumus, se ipse parabat, ut regni tranquillitati etiam absens consuleret, celebrem *Pragmaticam sanctionem* promulgasse fertur. Constantem in austeritate et oratione, ad instar monachorum, Ludovici vitam, mors sanctissima consecuta est, cui proximus successori suo præclarissima documenta propriâ manu scripta dedit. Sancti Regis soror fuit beata Elisabeth, quæ et ipsa abstinentiâ fuit mirabili. Plura concilia sæculo tertio decimo in Franciâ habita sunt. Memorare tamen sufficiat Tolosanum anno vigesimo nono, in quo methodus hæreticos inquirendi, examinandi et puniendi præscribitur, ut hæresi penitùs extinctâ populis illius provinciæ tranquillitas et pax restituatur. Inter episcopos Franciæ eminuit sanctus Guillelmus episcopus sancti Brioci; et Parisiis circa finem sæculi memorabile in Eucharistiâ miraculum contigit (*ib. n.* 56 *ad* 65).

§ XIII. Ecclesia Germaniæ multùm hoc sæculo ex continuis bellis inter Pontifices et Imperatores passa fuit.

Et aliqui singulari sanctitate viri in eâ floruerunt, ex quibus sanctum Engelbertum Coloniensem episcopum laudare satis sit. Etiam ecclesiam Angliæ perturbabant magna dissidia, primò inter Ioannem Regem et Innocentium Papam tertium ; et postea quæ ob decimas et tributa pro ecclesiâ Romanâ exacta, et frequentissimè quoque in electionibus archiepiscopi Cantuariensis excitabantur. His malis bella civilia, et non rara cum Franciâ, et abusus gravissimi etiam in sacramentorum administratione accedebant. At plures fuerunt magnæ sanctitatis episcopi, ut sanctus Edmundus Cantuariensis, et eius discipulus sanctus Richardus Cicestriensis : et sanctus Thomas Erfordiensis regni cancellarius. Robertus Lincolniensis in Angliâ episcopus, sicut etiam Bruno Olomucensis in Germaniâ, quæ mala tunc Ecclesia patiebatur, patheticè lamentabantur. Interea per Livoniam, Prussiam, Lithuaniam, Curlandiam, Silesiam, aliasque boreales regiones propagabatur christiana fides, ad quas apostolici præcones ex Daniâ, Sueciâ, Noruegiâ, Poloniâ et Bohemiâ passim progrediebantur. In Daniâ observandum est dissidium inter Regem Ericum septimum, et Ioannem archiepiscopum Lundensem; et in Poloniâ sancta vita Heduwigis ducissæ, et Elisabeth eius sororis filiæ *(ib. n.* 66 *ad* 73 *).*

§ XIV. Eodem sæculo tertio decimo magno Ecclesiæ bono novæ religiosæ familiæ seu ordines *Mendicantes* institui cœperunt. Sanctus Dominicus de Guzman, evangelicus præco ferventissimus, plures hæreticos ad fidem catholicam convertit, *Prædicatorum* ordinem instituit, et in urbe Româ concionibus suis publicis mores reformat. Inter discipulos suos conversionis hæreticorum et peccatorum zelo inflammatos distingui solent sanctus Raymundus de *Peñafort,* sanctus Petrus martyr Veronensis, S. Petrus Gonzalez, sanctus Albertus Magnus, et præcipuè sanctus Thomas Aquinas, qui contra Guillelmum de Sancto Amore *Mendicantium* ordinum mores et instituta doctissimè defendebat. Admirabilis fuit absdubio sanctitas vitæ Thomæ ; sed longè mirabilior scriptorum suorum extensio et varietas, si doctrinæ soliditas, perspicuitas,

et accuratus ordo considerentur. Ingens fuit *Dominicanorum* numerus sanctitate et sapientiâ illustrium *(ib. n.* 74 *ad* 88 *)*.

§ XV. Sanctus Franciscus ex urbe Assissio, christianæ amicitiæ fœdere sancto Dominico coniunctus, vitam pauperrimam, austeram et sanctissimam ducebat, et novam instituebat familiam repentè numerosissimam, fratribus sanctificationis propriæ et alienæ studiosissimis repletam. Huius familiæ domus eriguntur innumeræ. Sub Francisci directione etiam sancta Clara, et virginum eam sequentium familia sanctam vitam instituunt; et ordo, quem *Fratrum minorum* appellari vult, quaquaversùs rapidissimè propagatur. Ægyptum pergit Franciscus: rediens fratrem Eliam Ordinis gubernatione deponit: tertiam regulam edit; et post celebre quinque vulnerum prodigium moritur. Statim verò famosæ disputationes circa rigidam regulæ adimpletionem initium sumunt. Inter Francisci filios eminent sanctus Antonius Paduanus, Alexander Halensis, potissimùm autem sanctus Bonaventura, vir singularibus virtutibus, atque scriptis etiam multis et utilissimis meritò illustris. Sed et frater Rogerius Baconius doctrinâ, beata verò Margarita de Cortona et sanctus Ludovicus Tolosanus sanctitate celebres fuere *(ib. n.* 89 *ad* 101 *)*.

§ XVI. *Carmelitæ* è Palæstinâ Europam veniunt. *Eremitarum sancti Augustini* plures congregationes in unam coëunt. Sancti Ioannes de Mathâ et Felix de Valois ordinem *Trinitariorum* instituunt. Et operâ sancti Petri Nolasci Barcinone sumit initium Ordo sanctissimæ Virginis *de Mercede* Redemptionis captivorum. Fulgebant in hac familiâ sanctus Raymundus Nonnatus, sanctus Petrus Armengaudus, sancta Maria de Socós, et sancta Colagia. Hoc etiam sæculo incipiebant ordines *Servorum Mariæ*, et *Hospitalariorum* sancti Antonii *(ib. n.* 102 *ad* 112 *)*.

§ XVII. Antiquæ ecclesiarum et monasteriorum scholæ, post Carolum Magnum, in quibusdam magnis urbibus discipulorum et magistrorum numero crescebant; et post Lombardi *Libros sententiarum* et Gratiani *Decretum*, cathedræ quoque sensim multiplicabantur:

cùm Scriptura et Theologia separatim à metaphisicâ, ius etiam civile, canonicum, et medicina, alia ab aliis præceptoribus docerentur. Inde labente sæculo duodecimo, et tertio decimo ineunte, scholæ Parisiorum, Bononiæ, Palentiæ, Salmanticæ, Neapolis et aliæ, *Studia generalia* seu *Universitates studiorum* vocatæ sunt, quoniam in iis urbibus omnes scientiæ et artes liberales doceri dicebantur. Hæ scholæ, nempè tam magistri quàm discipuli, à civili iurisdictione liberari, et ecclesiasticæ subiici consueverant; et Parisiis ingens scholasticorum numerus, et turbidus eorum temporum genius frequentes motus excitabat: ex quibus inter *Universitatis* doctores et religiosos mendicantes dirum bellum ciebatur, quod ægrè tandem finitum est. Interea *Universitas* Parisiensis puritati doctrinæ constanter vigilans, vix natos errores acri censurâ suffocare solebat *(ib. n.* 113 *ad* 116*)*.

§ XVIII. Plurimi sæculo tertio decimo fuerunt scriptores ecclesiastici, quorum aliquos obiter antea memoravimus. Hìc paucissimos addemus: Iacobum Vitriacum, *Historiæ orientalis et occidentalis* auctorem, in quibus res præcipuè sui temporis, et de religiosis Ordinibus multa refert: Cardinalem Ostiensem, seu Henricum de Susa, qui *Summam auream,* seu principiorum iuris canonici summarium, et *Commentarium in Decretales* edidit: Robertum de Sorbona, qui celebre collegium, cui nomen dedit, Parisiis fundavit, et quædam opuscula pia composuit: Ægidium Romanum, qui de philosophiâ et theologiâ multa scripsit: Guillelmum Duranti, inter cuius scripta *Speculum iuris*, et *Rationale Divinorum officiorum* meritò commendantur: Matthæum Parisiensem, benedictinum monachum, cuius *Historia Anglicanæ ecclesiæ* magni pretii monumenta continet, et in Sedem Apostolicam frequentes iniurias quæ forsan ab alio additæ fuere: Rodericum Ximenez Toletanum, qui historiam Hispaniæ, et eorum populorum qui ipsam occuparunt, originem scripsit: Lucam Tudensem, qui præter *Chronicon*, etiam tres libros *contra Albigensium errores* in lucem edidit; et sanctum Martinum abbatem Legionensem, cuius Commentaria in sacros Libros, epis-

tolæ, et alia opera labente sæculo decimo octavo Segoviæ typis edita sunt. Et hæc de sæculo tertio decimo (*ib. n.* 117 *et* 118).

CAPUT III.

Synopsis sæculi quarti decimi.

Clemens quintus: curia Pontificia in Franciâ: concilium Viennense 1. Templariorum *extinctio: Bulla* Vox in excelso 2*: non quidem iniusta* 3. *Alia decreta concilii* 4. *Ioannes vigesimus secundus* 5. *De paupertate ordinis S. Francisci* 6. *Benedictus duodecimus: quæstio de visione beatificâ finem habet* 7. *Pontificis curia Romæ restituta* 8. *Electio Urbani sexti, et Clementis septimi* 9*: qui in Franciam pergit, ubi schisma grassatur* 10. *Turcæ viribus crescunt* 11. *In Castellâ æra christiana in locum hispanæ substituitur* 12. *Conciliorum huius sæculi præcipuus scopus* 13. *Conventus Parisiensis de abusibus potestatis ecclesiasticæ* 14. *Res Ecclesiæ in Angliâ et Germaniâ* 15. *Insignes sanctitate viri et mulieres* 16. *Scriptores aliqui* 17.

§ I. Sæculi quarti decimi anno tertio electus romanus Pontifex Benedictus undecimus, inter Romanam ecclesiam et Franciæ regnum pacem restituere nitebatur; quæ nimis dura Bonifacius papa contra Philippum regem providerat, revocans temperansve. Et Benedicto paucos post menses emortuo, eligebatur in romanum Pontificem archiepiscopus Burdigalensis, francus ipse et Regi Franciæ intimè iunctus, qui Clementis quinti nomine sumpto, novem cardinales francos statim creabat,

et aulam seu curiam Pontificiam in Franciâ collocare decernebat. Neque his contentus Franciæ Rex, Bonifacii octavi memoriam damnari, et *Templariorum* ordinem supprimi vehementer instabat. Unde generale concilium in Franciâ ipsâ, nempè Viennæ in Delphinatu à Pontifice convocabatur (*Lib. XII. n.* 119 *ad* 121).

§ II. *Templarii* iam priùs instante Philippo de pluribus criminibus accusati fuerant, circa quæ inquisitiones ac testium declarationes, ad placitum Regis in Franciâ receptæ, reos ipsos arguere videbantur: quæ tamen omnia insufficientia concilium habuit, ut eorum vi Ordo ille militaris extingueretur, quin priùs Ordini, et eius personis pluribus audiri postulantibus, defensionis locus concederetur. In hoc rerum statu, die vigesimâ secundâ martii anni duodecimi Pontifex in ipso concilio bullam edebat, quæ incipit *Vox in excelso audita est*, quæque per multos annos ignota latuit, donec in archivo ecclesiæ Agerensis in Cathaloniâ, et in Regio Barcinonensi reperta fuit; in qua ordinem *Templariorum* per viam ordinationis et provisionis Apostolicæ, et ob gravissimas causas quas fusè exponit aut indicat, supprimit et extinguit, personarum et bonorum ipsius dispositionem sibi reservans, atque de utrisque ante concilii finem providere promittens. Ita re ipsâ adimplevit, ineunte maio duas alias constitutiones seu bullas edens, quarum altera incipit *Considerantes dudum*, et totius Ordinis personas, quibusdam exceptis, conciliorum provincialium iudicio et dispositioni commendat: altera, quæ incipit *Ad providam Christi Vicarii*, Templariorum bona ordini *Hospitalariorum* sancti Ioannis adiudicat, iis demptis quæ in regnis Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ, et Maioricæ extant (*ib. n.* 121 *ad* 123).

§ III. Post Viennense concilium multa provincialia ad Templariorum causas cognoscendas statim convocabantur. In Tarraconensi eodem anno Templarii omnes illius provinciæ à criminibus, de quibus Ordo accusabatur, immunes sententiâ definitivâ declarati sunt, et ab omni notâ infamiæ plenissimè purgati. Extra Franciam generatim omnes innocentes ab iudicibus inveniebantur. Quam-

quam verò errores ac crimina Templariis imputata omninò falsa, aut paucarum illius Ordinis personarum delicta fuisse meritò supponatur, Ordinis tamen suppressio prudentissima, et nequaquam iniusta censenda est; præcipuè ob infamiæ notam quæ ex solâ suspicione horrendorum criminum nascebatur, et ob efficacissimas Philippi Regis Franciæ instantias cui tunc Pontifex ad maiora vitanda mala indulgere cogebatur *(ib. n.* 124 *et* 125 *)*.

§ IV. Complacere tamen illi non potuit in ridiculâ accusatione, qua Bonifacium octavum ut hæreticum damnari contendebat. Nam in concilio Viennensi post causam Bonifacii accuratè cognitam, nec minimum esse fundamentum ut iste Pontifex hæresis accusaretur statutum est. In eodem concilio varii errores damnati sunt. Fratres minores, qui *spirituales* dicebantur, corpori Ordinis unire curavit Pontifex. De privilegiis Regularium multùm actum est. Idiomata hebræum, chaldæum et arabicum, in præcipuis *Universitatibus* doceri præcipiebatur. Nova ad Terram sanctam proponebatur expeditio; et quædam alia opportunissimè decernebantur *(ib. n.* 126 *ad* 128 *)*.

§ V. Italiam variis motibus agitatam sedare conabatur papa Clemens; et ut Venetos à Ducatu Ferrariensi expelleret, terribiles in eos excommunicationes fulminabat: quibus cùm nihil proficeret, validum exercitum misit, qui Venetis in prælio victis totum illum Ducatum occupavit. Post Clementis mortem eligebatur Ioannes vigesimus secundus, qui aulam Pontificiam Avenione mox constituebat. Ioannes ad Reges christianos epistolas sanctis consiliis plenas dirigebat, atque Francum et Anglum novam expeditionem ad Palæstinam cogitantes, opportunè monebat intempestivam tunc futuram esse, atque necessarium ut ante omnia christiani Principes pacem cum Deo, inter se, et singuli cum subditis suis inire curarent *(ib. n.* 129 *ad* 131 *)*.

§ VI. In Franciâ, dum de *cruciatâ* ageretur, sub innocentum pastorum nomine nova commotio ciebatur. Atrox bellum, super Ordinis sancti Francisci paupertate

inter illius fratres motum finire volebat Pontifex : inde verò non contemnenda fratrum manus, duce fratre Michaële de Cesena, etiam contra Pontificem rebellabat. Interea, cùm Ludovicus Bavarus Petrum de Corbaria antipapam Romæ eligi fecisset, huic schismati Michaëlis factio vires addebat. Ioannes ultimo vitæ suæ tempore animas iustorum plenè purgatas innuebat non statim post mortem, sed solùm post universalem generis humani resurrectionem clarâ Dei visione fruituras : quod cum apud fideles doctos et indoctos malè audiret, vehementi animorum contentione de hac re disputari cœpit *(ib. n.* 132 *ad* 137 *)*.

§ VII. Novus autem Pontifex Benedictus duodecimus vix natum bellum suffocabat, solemniter declarans fidelium animas, quæ plenè purgatæ sunt, ut baptizatorum ante usum rationis decedentium, statim post mortem Divinæ essentiæ clarâ visione frui, seu Deum facie ad faciem videre. Benedictus in curiæ suæ, urbis Romæ, et totius Italiæ gubernatione, in reformatione Ordinum regularium, et in aliis multis christianæ prudentiæ et moderationis præclara exempla dedit; et anno quadragesimo secundo obiit. Eius successor Clemens sextus iubilæum singulis quinquaginta annis celebrari iussit : et famosam *decretalem* ad Armeniæ patriarcham direxit. Regi Angliæ, quoniam dignitatum ecclesiasticarum illius regni dationem sibi facilè Clemens reservabat, invisus fuit; sicut etiam bonis quibusque viris ob nimiam in victu, habitu et comitatu magnificentiam quasi regiam, et ob inconsultam cardinalium plurium creationem *(ib. n.* 138 *ad* 140 *)*.

§ VIII. Innocentius sextus anno quinquagesimo tertio multa reformabat, et litteratos viros protegebat. Locum Innocentii anno sexagesimo secundo decedentis occupabat Urbanus quintus, ad cuius obedientiam plures Italiæ urbes cardinalis hispanus Ægidius de Albornoz reducebat : unde post quadriennium Urbanus Romam profectus est, et ibi *Iesuatorum* ordinem approbavit. Postea Avenionem reversus, ibi moriebatur labente anno septuagesimo. Tunc electus fuit Gregorius undecimus, qui Pon-

tificiam curiam septuaginta duobus annis postquam Clemens quintus eam ad Franciam transtulerat, nempè anno sæculi septuagesimo, Romæ restituebat *(ib. n.* 141 *ad* 145*)*.

§ IX. Mortuo Gregorio, cardinales in conclavi congregati, et motus romani populi Papam gente romanum, ne Franciam abiret, eligi clamantis, aliquantulum veriti, Urbanum sextum eligebant, non romanum quidem, neque cardinalem, italum tamen. Novus Pontifex moribus austerus, scientiis præcipuè Divinis valdè doctus, aliisque præclaris dotibus instructus, erat etiam in reprehendendo acerrimus seu violentus, et propriæ sententiæ supra modum confisus. Hinc è suo latere cardinales, unus post alium statìm discedebant, et vix quatuor percurrerant menses postquam Urbanus sextus magno consensu electus et coronatus, et ab omnibus cardinalibus ut legitimus habitus fuerat, cùm mense augusto anni septuagesimi octavi maior eorum pars eligebat Robertum cardinalem Genevensem, qui Clemens septimus vocari voluit. Argumenta, quibus cardinales ob hunc tam insolitum agendi morem redarguebantur, robustissima erant, iustissima et manifesta *(ib. n.* 146 *ad* 149 *)*.

§ X. Aliunde verò pinguibus redditibus comitatûs Genevensis fruebatur Clemens; nonnullis cum Europæ Principibus sanguine coniunctus erat, et ob præclaras quasdam animi et corporis dotes, popularis. Ad Franciam se contulit: ubi recuperandæ Pontificiæ curiæ spe allecti populi singularibus lætitiæ signis eum accipiebant. Et hæc omnia, aliæque temporum circumstantiæ in causâ fuerunt, quòd ex eius electione schisma nasceretur, ob durationem, extensionem et malorum colluviem verè magnum. Ad illius extinctionem varia media excogitantur : tria proponit *Universitas* Parisiensis; et quamvis Clemens moritur, in eius locum Petro de Luna à cardinalibus suæ factionis, seu *obedientiæ,* ut aiebant, electo, schisma etiam post sæculum durat *(ib. n.* 150 *ad* 157 *)*.

§ XI. Toto sæculo quarto decimo Turcarum *Othomanorum* potentia multùm crescebat; et Imperium constantinopolitanum adeò deperibat, ut Baiaceto tributum solvere, et in ipsâ urbe regiâ turcis vicum et *mezquitam* con-

cedere Imperator cogeretur. Et quamquam etiam ex Occidente quædam expeditiones, ut famosa illa Cathalaunensium et Aragonensium, contra mahometanos Orientis navigaverint; parum commodi, et forsan plus damni christianis illarum regionum attulerunt. Tartarorum etiam in fidem christianam, et Armeniorum in catholicam propensio inconstans abs dubio fuit, et forsan non sincera. Sed iam ad nostram Hispaniam accedamus *(ib. n.* 158 *ad* 162 *)*.

§ XII. Alphonsus Castellæ Rex, cognomento *Nobilis*, cum mauris feliciter pugnabat. Codicem *Septem Partitarum* auctoritate publicâ fulsit, et magistratuum atque iudicum venerationem, et potestatis regiæ respectum auxit. Iacobus secundus Rex Aragoniæ Sardiniam sibi subiiciebat. Anno huius sæculi quinquagesimo iubebatur in Aragoniâ ab ipso die Nativitatis Domini initium annorum sumi; et anno octogesimo quarto etiam in Castellæ et Legionis regnis omittebatur antiqua æra hispana, quæ triginta et octo annis vulgarem Nativitatis Christi *epocham* præcedebat, et recentior ista, iam inter christianos communis, admittenda iubebatur. Inter Toletanos episcopos multùm eminuit cardinalis Ægidius Alvarez de Albornoz, præcipuè summâ prudentiâ, qua Italiam ut legatus Pontificis gubernavit. Inter Tarraconenses celebrabatur Guillelmus de Rocaberti moribus sanctissimus, et acerrimus iustitiæ vindex. In utraque verò ecclesiâ insignia sanctitatis, prudentiæ et zeli domus Dei exempla dabat Ioannes patriarcha Alexandrinus Regis Aragoniæ filius *(ib. n.* 163 *ad* 167 *)*.

§ XIII. Plurima concilia Tarraconensis provincia hoc sæculo celebravit; et quædam alia hispana memorari solent, ut illa Rupis-fidelis anno secundo, Vallisoleti anno vigesimo secundo, et Toleti anno vigesimo quarto. Plura etiam in Franciâ, aliisque christianis regnis celebrata fuere. Ubique tamen erat hoc sæculo frequentissimum in conciliis de reformandis clericorum moribus agere, et vehementer clamare pro tuendis Ecclesiæ immunitatibus contra violentiam, qua ecclesiastici viri non rarò opprimebantur: in quo Burcardi Magdeburgensis

archiepiscopi horrenda cædes memorari solet. Erat enim ferè continuum bellum inter Ecclesiæ et Reipublicæ magistratus et iudices circa personarum et bonorum Ecclesiæ privilegia, et circa ecclesiasticam iurisdictionem: qua occasione excommunicationis sententiæ passim fulminabantur, et eo ipso contemni solebant *(ib. n.* 168 *ad* 171*)*.

§ XIV. Circa finem anni vigesimi noni in celeberrimo conventu Parisiensi plures episcopi cum regio ministro et regni magistratibus et magnatibus, iussu Regis congregabantur, mutuas cleri in regios ministros et iudices, horum verò in iudices ecclesiasticos super iurisdictionis et privilegiorum abusu querimonias examinaturi. De sexaginta sex iniuriis ministri regii in clerum querelæ erant: quæ ad tria genera, nempè usurpationis potestatis civilis, abusum ecclesiasticæ, et nimiam censurarum frequentiam referri possunt: et eò collimare videbantur, ut nempè omnis civilis potestatis per ecclesiasticam personam exercitium, abusus censeretur. Ecclesiastici præsules, qui ab ipsâ monarchiæ constitutione primùm regni ordinem constituebant, et multiplex potestatis civilis exercitium ex privilegiis Clodovei, sancti Ludovici, cæterorumque Regum illustrium habebant, in quorum compensationem etiam Ecclesia plures spiritualis ordinis facultates Regibus concesserat, causam suam validissimè propugnarunt. Potestates spiritualem et civilem, licèt inter se diversas, in eâdem personâ coniungi posse, multis ostendebant; et in Franciâ iure ac opportunissimè coniungi observabant. Ex iniuriis in clerum allatis plures esse meras calumnias, et alias non iniurias, sed veri iuris usum, contendebant: de aliquibus autem candidè fatebantur ministros regios iure conqueri: qui abusus ut radicitùs tollerentur, ad remedia dignitati Regis et populorum tranquillitati opportuniora adhibenda promptos se se offerebant. Rex, qui præsens aderat, præsulum votis annuit. Et huius conventûs acta ad illius ætatis mores dignoscendos opportunissima sunt *(ib. n.* 172*)*.

§ XV. Continua inter Angliam et Franciam bella utriusque regni ecclesias miserè perturbabant, præcipuè subsidiorum quæ ex bonis Ecclesiæ exigebantur occasione. An-

gliæ Rex beneficia regni alienigenis dari eò potiùs tunc conquerebatur, quòd hac ratione ingens pecunia ex insulâ exportaretur. Et in iis angustiis Wicleffi clamores in damnum illius ecclesiæ additi sunt, ut antea diximus. Germaniam quoque Ludovici Bavari cum romanis Pontificibus bellum multùm affligebat, et Husitarum turbidi motus Bohemiam. Sed hæc de particularibus ecclesiis indicasse sufficiat. Nunc quorumdam sanctorum et scriptorum sæculi quarti decimi saltem nomina addamus *(ib. n.* 173 *)*.

§ XVI. Sanctus Ivo sacerdos et parochus Britanniam minorem, sanctus Nicolaus ex ordine sancti Augustini Tolentum urbem, et sanctus Rochus Montem–Pessulanum puritate morum illustrabant. Sancta verò Elisabeth totum Lusitaniæ regnum non modò austeritate vitæ, largitate in pauperes, et prudentissimâ patientiâ qua Regem maritum suum ad meliorem frugem convertit ; sed præcipuè singulari dexteritate, qua inimicitias inter privatos viros extinguere, populi seditiosos motus compescere, et inter Reges bellicum furorem sedare novit. Sancta Birgitta in Sueciâ monasterium erigebat. Sanctæ Catharinæ Senensis, morum integritate, in rebus gravissimis agendis mirâ dexteritate, et ardenti pacis Ecclesiæ zelo illustris, epistolæ supersunt lectione dignissimæ. Ex ordine Carmelitarum egressi sanctus Petrus Thomassius, et sanctus Andreas Corsinus : ille ecclesiam Patæ in Siciliâ, iste Fesulanam in Etruriâ gubernabant. Beatus Petrus à Luxemburgo, adhuc puer episcopus et cardinalis creatus, victûs et habitûs modestiâ, morum gravitate, et zelo gloriæ Dei ac salutis animarum adeò effulgebat, ut eius mortem anno decimo octavo ætatis suæ omnes boni luxerint. Denique sanctus Ioannes Nepomucenus sigilli confessionis martyr occubuit *(ib. n.* 174 *ad* 179 *)*.

§ XVII. Inter scriptores sæculi quarti decimi subtilitate in ratiocinando celebrari solet Ioannes Duns scotus : orientalium linguarum studio, et ideis extraordinariis Raymundus Lullius : Pontificiæ potestatis extollendæ zelo Augustinus Triumphus ; et sacræ Scripturæ commentariis Nicolaus Liranus. Etiam ad hoc sæculum pertinent Alvarus Pelagius, Thomas Branvardinus, Rus-

brochius, Taulerus, Eymericus; et alii. Et hactenùs de sæculo quarto decimo : ad quintum decimum considerandum, prioremque partem sexti decimi usque ad concilium Tridentinum accedamus (*ib. n.* 180 *ad* 183).

CAPUT IV.

Synopsis sæculi quinti decimi et sexti decimi usque ad concilium Tridentinum.

Schismatis mala 1. *Concilium Constantiense : Luna depositus* 2. *Martinus electus : quinque nationes : decreta* 3. *Concilium Basileense : hoc inter et Eugenium dissidium* 4 : *turbidus illius finis : zelus inordinatus* 5. *Amadæus : Nicolaus : consensus germanicus* 6. *Græci in Italiâ : Æneas Silvius* 7. *De immaculatâ Virginis conceptione. Alexander sextus* 8. *Iulius secundus. Lateranense concilium. Leo decimus* 9. *Constantinopolis sedes Imperii turcarum* 10. *Electio Regis Aragoniæ* 11. *Ferdinandus et Elisabeth* 12. *Toletanum statutum de christianis novis : Ximenez de Cisneros* 13. *Tarraconenses episcopi* 14. *Tostatus Abulensis : Thomas à Villanova* 15. *Concilia hispana* 16. *Vincentius Ferrarius et alii sancti* 17. *Carolus quintus* 18. *In Franciâ turbidi motus* 19. *Puella Aurelianensis* 20. *Colloquium Possiacense* 21. *In Angliâ Henrici octavi matrimonia* 22. *Rex caput novæ ecclesiæ : Anna Bolena : Crammerus* 23. *Schismati accedit hæresis : Regina Maria* 24. *Ecclesia in regionibus borealibus* 25. *Illustres sanctitate et scientiâ viri* 26. *Scriptores aliqui* 27. *Ecclesia ætate quartâ eadem quæ semper* 28. *Iniustè clamatur contra* cruciatas : *scholasticos* 29 ; *ac præcipuè contra indulgentias* 30. *Ætas quarta minùs corrupta quàm tertia* 31.

§ I. Uterque Pontifex, Romanus et Avenionensis, abdicationem, quam boni omnes ad pacem Ecclesiæ ab utroque exigebant, variis artibus differre conabantur; et pro utriusque *obedientiâ*, ut tunc aiebant, regna quædam catholica et viri sanctitate et sapientiâ illustrissimi stabant: stabant etiam alii pro *indifferentiâ*; nempè ut legitimum Pontificem neutrum agnoscebant. Interea mala ex schismate nata iugiter crescebant; et præcipuè nominationum ad *præbendas*, reservationum et gratiarum papalium abusus, quibus uterque suam factionem firmare aut extendere conabatur (*Lib. XII. n.* 184).

§ II. Sæculi quinti decimi anno nono utriusque partis cardinales Pisis in concilio congregabantur; et post depositos Gregorium duodecimum, et Petrum de Luna qui Benedictus tertius decimus vocari volebat, cardinales omnes eligebant Alexandrum quintum. Et inde tres erant post ea Pontifices; quousque anno quarto decimo pro pace Ecclesiæ Constantiense concilium efficaciùs laborabat. In hoc concilio ut legitimus Pontifex agnoscebatur Ioannes vigesimus tertius, qui Alexandro quinto successerat: eum tamen abdicare se Pontificatu debere concilium declarabat. Imò cùm abdicationem differret, deponebatur à concilio: cuius sententiæ ipse postea subscribebat, et ulteriùs se Pontificatu abdicabat. Pontificatum sponte dimittebat Gregorius duodecimus: attamen Benedictus tertius decimus, seu papa Luna, qui obstinatus semper mansit, Pontificatu solemniter depositus fuit. Errores ac personas Ioannis Hus et Hieronymi Pragensis concilium damnavit. Tyrannicidium quoque rectæ fidei et bonis moribus contrarium declaravit (*ib. n.* 185 *ad* 190).

§ III. De electione Pontificis tunc faciendâ concilium multa sanxit: et præcipuè quòd præter omnes cardinales, etiam sex delegati à singulis ex quinque nationibus italâ, gallicâ, germanicâ, anglicâ, et hispanâ, in quas distribuebatur concilium, ad dicendam sententiam admitterentur; atque ita unanimiter electus fuit Martinus quintus. In ordinandâ morum et disciplinæ reformatione

constantissimè laborabant patres concilii. Et cùm de quibusdam curialibus articulis diversæ nationes diversè opinarentur, Martinus statuit ea capita, quæ quinque nationibus secum constarent, protinùs decreto firmanda: illa verò, de quibus consensus unanimis non esset, rem esse inter singulas nationes et romanum Pontificem particularibus conventibus transigendam. Atque ita reformationis negotium finitum est, et ad novum concilium post quinquennium celebrandum civitas Ticinensis assignata *(ib. n. 191)*.

§ IV. Ibi reapse incœpit; sed protinùs Senam translatum, et inde etiam Basileæ post septennium celebrandum indictum fuit. Et profectò anno trigesimo primo labente, Basileensi concilio initium dabat Iulianus Cæsarinus, Eugenii quarti legatus; sed non multò post magnum dissidium inter Pontificem et legatum ipsum ciebatur. Pontifex concilium Bononiam transferendum censebat; quoniam non nisi decem episcopi Basileæ convenerant, et loci intemperies, et bella inter vicinos Principes plurium adventum impediebant. Præterea græci, qui ad concordiam dispositi Italiam venerant, nova itinera et per montes nive coopertos facere recusabant. Aliis etiam causis translationem persuaderi aiebat Pontifex. Has credebat legatus in metu Pontificis sitas esse, ne scilicet propter reconciliationem Husitarum auctoritas Pontificia decresceret. Atque adeò panicum hunc esse timorem ostendere conabatur; et addebat græcorum unionem concilio Bononiensi reservari posse, et in Basileensi cætera negotia concludi, ad quæ convocatum fuerat; præcipuè Hussitarum reconciliationem: hi etenim malè de catholicis opinarentur, si concilium Basileæ, ut ipsi interessent convocatum, tam longè ab his tractibus transferretur *(ib. n. 192 et 193)*.

§ V. Effervescebant inter Pontificem et patres Basileenses concertationes, donec anno trigesimo quarto pax inita est, et aliquæ celebrabantur sessiones novis legatis loco Pontificis præsidentibus. At iterum anno trigesimo septimo dissidium recrudescebat. Eugenius Ferrariam transferebat concilium, quædam negotia Basileæ

concludi permittens. Inde verò Patres qui Basileæ permanebant, in multis turbidè et seditiosè agebant, et Amadæum Sabaudiæ ducem in Pontificem sub nomine Felicis quinti intrudere non dubitabant : atque in iis motibus Eugenius quartus laudandâ patientiâ et mansuetudine se gessit. Et hæc dicta sufficiant de Basileensi concilio; ex cuius historiâ diversa circa eius auctoritatem dubia suâ sponte manant. Et æquum est in ipsâ observare zelum reformationis morum et disciplinæ, si nimius sit, præceps aut iniustus, gravissimis malis ansam facilè præbere. Interea in concilio Ferrariensi postea Florentiam translato, Ioannes Paleologus cum pluribus græcis episcopis et abbatibus ad Romanæ ecclesiæ communionem anno trigesimo nono admissi sunt. Nec non Armeni, ad quos Eugenius papa quartus notabilem instructionem dirigebat (*ib. n.* 194 *ad* 199).

§ VI. Eugenius anno sæculi trigesimo primo Martino quinto successerat, eiusque prudentissima conniventia ad schismatis Amadæi promptam extinctionem multùm contulit. Postea Nicolaus quintus cardinalem Ioannem Carvajal legatum ad Germaniam misit, qui celeberrimum pactum *germanicum* inter sanctam Sedem eamque nationem anno quadragesimo octavo iniit. Et paulò post Nicolaus conniventiam patientiamque Eugenii æmulatus, schisma, quod ex Basileensi concilio natum fuerat, omninò extinxit (*ib. n.* 200 *et* 201).

§ VII. Non multò post, nempè anno quinquagesimo tertio, Constantinopolis in potestatem turcarum tandem cecidit: et græcos viros sapientiâ aut sanctitate illustres, infelicem suam patriam fugientes, romani Pontifices amantissimè suscipiebant; atque antiquitatis sacræ et profanæ pretiosa *manuscripta* solerti curâ colligebant. Nicolao anno quinquagesimo quinto subrogabatur Callixtus tertius hispanus; et huic post triennium Æneas Silvius. Hic in Basileensi concilio primas pro Amadæo partes egerat; tunc verò nomen Pii secundi assumens, quæ contra Eugenium antea scripserat revocabat. Pacem inter Principes christianos magno zelo promovebat Pius, ut turcarum progressus cohibere possent; et inter eius opera

elegans epistola invenitur ad Mahometum secundum directa, in qua religionis christianæ veritas et mahometanæ falsitas eruditè demonstrantur. Post Pii mortem anno sexagesimo quarto eligebatur Paulus secundus. Ante electionem cardinales omnes in conclavi communi consensu decreverunt, ab eo qui Pontifex eligeretur curiam reformandam fore, reducendum cardinalium numerum, et alia in bonum Ecclesiæ facienda. Ita omnes spoponderunt. Paulus verò secundus post electionem, probantibus cardinalibus, uno dempto hispano Carvajal, illud decretum seu conventum abrogavit *(ib. n.* 202 *ad* 205 *)*.

§ VIII. Sixtus quartus in locum Pauli unanimi voce electus, expeditiones in Turcas promovebat, et de immaculatâ Beatæ Virginis conceptione ferventem controversiam temperare conabatur, unamquamque partem notam hæreseos contrariæ imponere strictè vetans. Innocentius octavus anno octogesimo quarto Sixto succedens, Imperatore turcarum deprecante, huius fratrem multo tempore in ditione Ecclesiæ detinebat. Post Innocentii mortem Bernardinus de Carvajal Pacensis episcopus, et Regis Hispaniæ legatus, necessitatem reformandæ Ecclesiæ universalis, et speciatim romanæ curiæ, atque adeò eligendi in romanum Pontificem virum sanctis moribus, et zelo domûs Dei illustrem, coram sacro Collegio gravi oratione demonstrabat; et tunc eligebatur Alexander sextus, apud Ecclesiæ inimicos nimis famosus *(ib. n.* 206 *ad* 208 *)*.

§ IX. Huic anno tertio sæculi decimi sexti Pius tertius succedebat, vir magni et prudentis zeli, qui paucos post dies moriebatur. Iulius secundus in istius locum electus, magnanimitate et militari fortitudine conspicuus, ut turbidos novem cardinalium, et quorumdam episcoporum francorum motus faciliùs compesceret, Lateranense concilium anno duodecimo convocabat; quod eius successor Leo decimus, sublatâ *pragmaticâ sanctione* Franciæ et in eius locum inito pacto cum rege Francisco primo, cui episcoporum et aliorum sui regni prælatorum electio concedebatur, feliciter finiebat. Litteratos viros, præcipuè græcis et latinis ætatis aureæ libris

deditos, Leo protegebat: quorum loco si sapientes theologos amicos, consiliariosque familiares habuisset, forsan in concedendis indulgentiis fuisset cautior, et solidis scriptis in cunis suffocasset lutheranam hæresim, quæ eius tempore nata, et latissimè propagata fuit. Adrianus sextus Leonis successor veram prudentemque morum reformationem vehementissimè desiderabat; at post annum et octo menses Pontificatûs obibat anno vigesimo tertio. Clemens septimus eius successor in imperatorem Carolum quintum inconsultè ac infeliciter bellum movebat: et licèt pace tandem initâ, Carolum Bononiæ solemniter coronavit, et eius precibus annuens generale concilium convocare seriò cogitabat; tamen antequam posset, morte præventus fuit anno sæculi trigesimo quarto *(ib. n.* 209 *ad* 215 *).*

§ X. Toto sæculo quinto decimo et prioribus sexti decimi lustris orientalis ecclesiæ mala gravissimè invalescebant. In altero Constantino extinguebatur anno sæculi decimi quinti quinquagesimo tertio orientale Imperium, quod ante undecim sæcula Constantinus Magnus fundaverat: et statim per Imperii provincias mahometanorum superstitiones latissimè diffundebantur, nomen verò Christi aut offuscabatur, aut omninò delebatur. Imò turcæ in urbem Constantinopolim sedem Imperii sui transferentes, toti Europæ mox imperaturos sperabant. Rhodiensem insulam ab *Hospitalariis* sancti Ioannis validissimè propugnatam tandem sibi subiiciebant. Melitam, quam iidem equites defendebant, frustrà oppugnabant: utrobique autem tot millia turcarum interfecta sunt, ut si horum religiosorum equitum, necnon Huniadis, Scandervergii, et Serini in arte militari peritiam, et suorum exercituum raram fortitudinem consideres, facilè agnoscas turcarum progressus non ab eorum virtute militari esse repetendos, sed ex christianorum inter se funestissimis bellis ac dissidiis: unde in præliis christianorum cum turcis semper hi longè illos numero superabant *(ib. n.* 216 *ad* 218 *).*

§ XI. Sed iam ad Hispaniam oculos convertamus. Ab initio sæculi quinti decimi Lusitani et Bætici nauticarum rerum peritissimi, nova maria, insulas, tractusque ter-

rarum in dies inveniebant, per quæ Christi nomen erat prædicandum. In Aragoniâ Regum progenie Martini morte finitâ, novem è regni provinciis selecti iudices, auditis eorum legatis qui ius ad coronam habere contendebant, Ferdinando Castellæ Principi, quem regno opportunissimum esse non dubitabant, eam adiudicarunt *(ib. n.* 219 *)*.

§ XII. Huius Ferdinandi ex filio nepos fuit Ferdinandus alter, cognomento *Catholicus*, cui Elisabetha regni Castellæ hæres nupsit : et eo felici matrimonio Castellæ et Aragoniæ regna magno populorum bono in posterum unita permanserunt. Eminebat uterque coniux mentis perspicaciâ ac rectitudine, magnanimitate et cordis generositate : eorum regimini religio et iustitia iugiter præsidebant : Granatense regnum suæ potestati subiecere : totam peninsulam à maurorum dominio tandem liberarunt : atque novum mundum Hispaniæ Imperio addiderunt, quin ex Americæ subiectione hispana gens usurpationis aut sævitiæ in indos argui possit (*ib. n.* 220 *ad* 225).

§ XIII. Ecclesiam Toletanam insignes archiepiscopi gubernabant ; et sub Alphonso de Acuña Carrillo, viro magni animi, turbidi tamen et inquieti, ingens movebatur populi seditio, quæ *christianos novos* (quo nomine non neophytos modò, sed eos quoque comprehendebant qui ex parentibus aut avis ex iudaismo seu mahometismo conversis nati fuerant) ab omni civili munere et ecclesiastico beneficio arcebat. Unde postea famosum illud Toletanæ ecclesiæ statutum à Pontifice etiam probatum, quod maurorum, iudæorum vel hæreticorum nepotes ab illâ ecclesiâ excludit, originem trahere potuit. Idem Alphonsus de Acuña Petri Oxomensis errores damnabat. Postea sub finem sæculi quinti decimi eam ecclesiam regere incipiebat celeberrimus Franciscus Ximenez de Cisneros, cuius prudentia, magnanimitas ac constantia in protegendis innocentiâ, merito ac virtute, ecclesiæ et monarchiæ Hispaniæ multùm profuerunt. Inter eius successores Bartholomæus de Carranza non solùm præclaris animi dotibus notissimus fuit, sed præcipuè ob gravissi-

mum negotium quo Romam proficisci coactus est (*ib. n.* 226 *ad* 229).

§ XIV. Tarraconensi ecclesiæ initio sæculi quinti decimi Petrus de Zagarriga præerat, qui unus ex electoribus Regis Aragoniæ fuerat, vir iustitiæ administrandæ studiosissimus. Deinde ab anno trigesimo quarto cardinalis Dominicus Ramus, qui ad Basileense concilium durante bello cum romano Pontifice accedere recusabat. Ineunte verò sæculo decimo sexto Petrus de Cardona, ob singularem in versandis negotiis intelligentiam et dexteritatem Ferdinando *Catholico* et Carolo quinto acceptissimus: qui domi suæ hospites Tarracone habuit Adrianum papam sextum Romam euntem, et Franciscum primum Regem Franciæ ex Italiâ Matritum iter facientem. Demum tempore concilii Tridentini Tarraconensis episcopus erat Ferdinandus de Loaces celebris iurisconsultus (*ib. n.* 230 *ad* 233).

§ XV. Ecclesiam Abulensem circa dimidium sæculi quinti decimi illustrabat Alphonsus de Madrigal, vulgò *Tostatus*, vir christianis ac politicis virtutibus illustris, et vastâ eruditione ac sentiendi gravitate verè mirabilis. Tempore concilii Tridentini sanctus Thomas à Villanova exemplo, oratione, atque privatis et publicis sermonibus totam Valentinam diœcesim sanctificabat. Cùm ad Tridentinum concilium profecturus esset, clerus ac populus Valentinus ipsius absentiam sustinere non potentes, instantibus precibus, ab Imperatore ne abiret impetrarunt. In huius sancti scriptis frequentia ardentissimæ charitatis, qua æstuabat, vestigia supersunt (*ib. n.* 234 *ad* 237).

§ XVI. In pluribus Hispaniæ ecclesiis Petrus de Luna sub nomine Benedicti tertii decimi durante schismate multa opportunè sanxerat, quæ omnia à Martino quinto probabantur. Anno sæculi quinti decimi vigesimo nono, Martini papæ legatus concilio Tarraconensis provinciæ Dertusæ convocato præsidebat; in quo ultimæ schismatis reliquiæ extinctæ fuerunt, et varia ad mores et disciplinam spectantia constituta. Plura etiam sunt utilissima decreta quorumdam Tarraconensium conciliorum, quæ post Dertusanum, et ante finem Tridentini

celebrata sunt; et etiam Arandensis anno septuagesimo tertio, atque Hispalensis anno duodecimo (*ib. n.* 238 *ad* 242).

§ XVII. Labente sæculo quarto decimo, et quinto decimo ineunte, celeberrimum erat sancti Vincentii Ferrarii nomen, qui frequentissimis expeditionibus apostolicis peccatores, mauros et iudæos multos ubique convertebat; atque inimicitias inter familias aut populos extinguens, bella etiam inter Principes præcavebat, et in magno schismate finiendo multùm laborabat. Apostolicum Vincentii zelum sancti Alvarus de Cordoba, Ioannes Gualbertus, et Ioannes à sancto Facundo æmulati sunt. Mirabilis etiam fuit vitæ sanctitas et asperitas sanctorum Petri Regalati, Didaci de Alcalá, Petri de Alcantara, et Salvatoris de Orta. Sanctus Petrus de Arbues pro fide Christi occubuit, et sanctus Ioannes de Deo verè martyr charitatis dici potest. Atque ex sanctis viris ab initio sæculi quinti decimi ad dimidium sexti decimi Hispaniam illustrantibus hos nominasse sufficiat (*ib. n.* 243 *ad* 254).

§ XVIII. Ferdinando Catholico anno supra millesimum quingentesimo sexto decimo moriente, è Flandriâ Hispaniam veniebat Carolus primus, qui statim Imperator factus celeberrimum Caroli quinti nomen assumpsit. Carolum, contra turcas et hæreticos non minore pietate quàm fortitudine prælianter, frequentissima bella remorabantur; quæ Franciscus primus Galliæ Rex, electione Caroli in Imperatorem exacerbatus et magnæ illius gloriæ impatiens, quasi eum universale Europæ imperium ambire vereretur, sociis undique quæsitis excitabat. Carolus post plura præclara gesta Flandriæ, Hispaniæ, et Germaniæ Imperio se abdicabat, et inter monachos *Hieronymianos* à rebus publicis omninò separatus, vitam tranquillè finiebat. Et hæc de Hispaniâ (*ib. n.* 255 *ad* 259).

§ XIX. Franciam ab initio sæculi quinti decimi, præter constans anglorum suos fines in eâ extendendi studium, bella civilia agitabant, et ferventes etiam inter *Universitatis* Parisiensis doctores controversiæ. Celeber-

rima fuit quæ, Ioanne Monzonio minùs piè de immaculatâ beatæ Virginis conceptione, acriter ab ea Universitate tunc propugnata, sentiente, suscitabatur; quæ tamen Monzonio Italiam abeunte quiescebat. Maiores erant motus quos protinùs excitabat Ioannes Petit in odium Ducis Aurelianensis, et in gratiam Ducis Burgundiæ, de tyrannicidio disserens. Nimius fervor quo hæc disputatio in Galliâ agitabatur, etiam virorum sapientum ideas quasdam obscurasse videtur; ut sapientissimi Gersonis, qui de monarchiâ civili et ecclesiasticâ minùs accuratè quandoque loquebatur. Parisiensis *Universitas* in negotia reipublicæ plus æquo influere aliquandiu conata est: post concilium verò Constantiense protinùs compescebatur *(ib. n.* 260 *)*.

§ XX. Anno eiusdem sæculi vigesimo secundo Carolus septimus Franciæ Rex patri tunc mortuo succedens, penè totum regnum anglorum potestati subiectum invenit, eumque Deus mirabili ratione protegebat. Ioanna de Arcu, sub nomine *Puellæ aurelianensis* famosissima, à Deo in auxilium Regis se vocari credens, Regi se sistit, et peritis ducibus sociata, enseque accepto, parvum Regis exercitum antecedens Aurelianum ducit: anglos ab huius urbis obsidione recedere cogit: plures urbes ab ipsis recuperat, et regem Carolum ad Rhemos perducit, ubi Rex consecratur. Tunc munus ad quod à Deo missa erat explevisse se testata, domum redire vult: Regis autem precibus aut iussis annuens, in exercitu manet: postea ab Anglis capitur, et viva comburitur hæresis et maleficii accusata (*ib. n.* 260 *ad* 262).

§ XXI. Carolus septimus in comitiis Brugensibus anno trigesimo octavo ad tollendos abusus ex commoratione Pontificum in urbe Avenione ortos, famosam *pragmaticam sanctionem* observari iubebat, quæ ut antea diximus Francisci primi tempore deleta est. Post regis Francisci mortem calviniana hæresis per Franciam latè grassabatur: unde anno quingentesimo sexagesimo necessarium habitum est regni comitia Aureliæ celebranda convocari, ut de tranquillitate publicâ contra motus religionis causâ excitatos firmanda ageretur. Eodem fuit

anno sequenti inter hæreticos et catholicos Pisciaci colloquium seu collatio publicè habebatur, præsente Rege cum proceribus, et aulæ suæ ministris. Pro hæreticis Theodorus Beza loquebatur; eique cardinalis de Lotharingia respondebat, orationem suam in duas partes dividens, atque duo præcipua disputationum omnium capita, nempè articulos de Ecclesiâ et de Eucharistiâ, perspicuè gravissimèque tractans. Nihilominùs calvinistarum audacia et furor non tepescebant (*ib. n.* 263 *ad* 268).

§ XXII. Anglia sæculo quinto decimo contra Franciam frequenter pugnans, internis etiam motibus et bellis æstuabat; et sæculi sexti decimi anno nono ad thronum ascendebat Henricus octavus, à quo novæ ecclesiæ Anglicanæ origo repetenda est. Henricus severis edictis Lutheri errores in Angliâ damnabat, et contra ipsos tractatum scribebat, unde nomine *Defensoris Ecclesiæ* illustrabatur. At circa annum vigesimum sextum impotenti erga Annam Bolenam, quæ titulum et nomen Reginæ ambibat, amore correptus, matrimonium suum cum Catharinâ nullum declarari cogitavit. Tota huius contentionis ratio in eo nitebatur, quòd Catharina priùs Arturo Henrici fratri nupta fuerat; quasi cum leviro, seu mariti aut uxoris fratre, nullâ ratione validum esse posset matrimonium. Cæterùm post Arturi mortem, petente Rege Angliæ, atque theologis et iuris canonici peritis consentientibus impedimentum cognationis cum fratris uxore dispensari posse, Iulius Papa secundus ut Henricus Catharinam uxorem duceret concesserat. Et deinde Regium Angliæ concilium seu *Parlamentum* declaraverat, Henrici cum Catharinâ matrimonium et bono reipublicæ esse utilissimum, et post Papæ dispensationem sine dubio licitum et validum (*ib. n.* 269 *ad* 271).

§ XXIII. Nihilominùs Henricus in Pontificem, quòd suum matrimonium cum Catharinâ nullum declarasse renueret, indignatus, in eum et totum clerum multa moliebatur, et titulum *Capitis supremi ecclesiæ Anglicanæ* sibi assumebat. Crammerus Cantuariensis archiepiscopus, vir clandestinè lutheranus et nuptus, palàm

autem Pontificis *pœnitentiarius*, et archiepiscopus ritu romano consecratus, ut hominis fidem agnoscas, Henrici cum Annâ Bolena matrimonium facilè probabat: postea verò cùm Rex amorem Annæ ad aliam transferret, Annæ cum Henrico matrimonium nullum fuisse facilè quoque Crammerus declarabat. Annæ in publico patibulo Regis iussu caput amputatum est. Catharina verò ad mortem usque dignitatis suæ decorem sustinebat. Interea romanus Pontifex anno sæculi trigesimo quarto, instante Catharinâ, quæ Caroli quinti amita erat, litem de valore matrimonii illius cum Henrico septem ab annis cœptam finiebat, matrimonium validum declarans. Unde Henricus in Pontificem et eius auctoritatem irâ exardescens, omne commercium Angliæ cum Româ interdicebat: Fischerium, Thomam Morum, aliosque plurimos, quoniam Regem ecclesiæ caput agnoscere renuebant, morti adscribebat: diripiebat monasteria, et sancti Thomæ Cantuariensis cineres sacrilegè profanabat *(ib. n.* 272 *ad* 279*).*

§ XXIV. Furenti Regis in ecclesiam Romanam et in lutheranorum novitates odio, Thomas Cromuel, in rebus ecclesiasticis Regis vicarius, et monasteriorum visitator, ut vile mancipium etiam contra propriam conscientiam serviebat. Nihilominùs ut hæreticus et regni inimicus postea decollatus est. Henricus in novos hæreticos decretum, quod *sanguinis statutum* vocabant, edidit, et eorum aliquos morti tradidit. Tandem post tria matrimonia cassata, duasque uxores capitali sententiâ damnatas, Angliæ regno infeliciter ab Ecclesiæ centro divulso, anno quingentesimo quadragesimo septimo moriebatur. Quid verò? In ancipiti negotio matrimonii Henrici dicemusne romanos Pontifices inconsultè ac nimis durè Regem tractavisse? Non ita puto. Clementem septimum ab omni culpâ excusare facilè est; Paulum verò tertium saltem recto fine egisse dubitari non debet. Eduardo regnante, schismati Anglicano hæresis accedebat. Regnante Mariâ, Crammerus levitatis et facinorum suorum pœnas luebat: Regina et cardinalis Polus pro Ecclesiâ catholicâ laborabant; at nimis promptè uterque moriebatur. Et inde Anglicana ecclesia densâ schismatis et hæresis nube obducta hacte-

nùs mansit, ut ætate sequenti videbimus *(ib. n.* 280 *ad* 289 *).*

§ XXV. De cæteris aquilonis ecclesiis nonnulla dicamus. Circa dimidium sæculi quinti decimi Ruthenorum gens è Tartarorum iugo liberabatur; et magni Imperii, quod nunc miramur, fundamenta iaciebat. Samogitia eodem sæculo, curante Iagelone Lithuaniæ Duce et Poloniæ Rege, fidem Christi amplectebatur. Attamen Reformationis velo obductæ *protestantium* hæreses, non in Germaniâ solùm, et per Franciam ut alibi diximus, sed in Russiâ quoque, in civitatibus imperialibus liberis, et in Belgio subitò grassabantur. Et circa dimidium sæculi sexti decimi iam Scotiam occupabant, in Daniâ et Sueciâ dominabantur, et Polonos multos seducebant *(ib. n.* 290 *ad* 296 *).*

§ XXVI. Non defuere tamen hisce temporibus sancti et sapientes viri, qui præclaris virtutibus, et opportunis scriptis Ecclesiam illustrarent. In utroque laudandi sunt sanctus Antoninus et sanctus Laurentius Iustinianus, uterque patriæ suæ, nempè ille Florentiæ, iste Venetiarum antistes. Etiam inter sanctos et inter scriptores ecclesiasticos Bernardinus Senensis et Ioannes Capistranus, ambo ex ordine Minorum, numerari debent. Novum *Minimorum* ordinem fundabat sanctus Franciscus de Paula christianâ humilitate, charitate et abstinentiâ insignis. Sancta Francisca Romana, postquam coniugatorum mulierum exemplar in matrimonio fuerat, in monasterio humiliorem locum et abiectiora officia ambibat. Etiam, Sanctus Casimirus Regis Poloniæ filius, mansuetudine sicut et virginitatis amore fuit insignis *(ib. n.* 297 *ad* 305 *).*

§ XXVII. Plures quoque fuere scriptores ecclesiastici sæculi quinti decimi; et inter græcos eminebat cardinalis Bessarion, inter latinos verò cardinalis Cussanus, Alliacus, Zabarella, et Turrecremata; Ioannes Gerson, Nicolaus Clemanges, Thomas Valdensis, Hieronymus de Sanctâ Fide, Paulus à Sanctâ Mariâ, Dionysius Carthusianus, Hieronymus Sabauarola, Thomas Malleolus seu à Kempis, et, ut alios omittam, Picus Mirandulanus.

Ipso sæculo quinto decimo ars formis primùm ligneis, deinde æneis, litteras in chartâ exprimendi inventa est; cuius beneficio præstantissimi græcorum et latinorum scriptores anteà latentes in manus omnium facilè venerunt. Hinc etiam novorum librorum numerus multùm augebatur: et inter scriptores, qui initio sæculi decimi sexti florebant, Erasmus, Ludovicus Vives, Antonius Nebrissensis, Reuchlinus, Sanctes Pagninus, Vatablus, Titelmanus, Steucus Eugubinus, Ferus, Garcia de Cisneros, Iustinianus, Bembus, Mantuanus, cardinalis Caietanus, Driedo, Faber, Clictoveus, Victoria, Tritemius, et Sodaletus saltem nominandi sunt (*ib. n.* 306 *ad* 332).

§ XXVIII. Ex his quæ de quartâ ætate Ecclesiæ hactenùs indicavimus, nonnulla observatu dignissima colligi possunt. Ac primò quidem Ordines seu religiosas familias mendicantes, atque studiorum *Universitates* multùm in hac ætate viguisse cernimus; unde ignorantiæ tenebræ passim dissipabantur. In moribus tam plebis quàm cleri non adeò frequentia erant scandala, ac sæculis barbarorum irruptioni proximis. Quamquam verò antiquæ hæreses ad sæculum usque quintum decimum natæ, initio decimi sexti ferè omninò evanuerant; tunc tamen sub *reformationis* vexillis novus hæresum exercitus coaluit, à quo in Ecclesiâ editas strages etiam ætate sequenti sumus lamentaturi. Plura eâdem ætate tum doloris cum solatii christiano animo obiecta se se offerunt, ut facilè colligas in istâ, sicut in antecedentibus Ecclesiæ ætatibus, eam non tantùm malis affligi et exerceri, sed bonis etiam à Deo animari eique solatium præberi (*ib. n.* 333 *ad* 336).

§ XXIX. Præterea dum increduli, protestantes, et etiam nonnulli catholici in bella sacra seu *cruciatas*, scholasticos, et indulgentias vehementer clamant, eos ab æqui et iusti normâ declinare, aut falsâ zeli specie deludi, facilè observatur. Mala quæ *cruciatas* comitari solebant, ferè semper extollunt; quæ tamen bona reipublicæ et Ecclesiæ intulere, mittunt aut minuunt. Plurium scholasticorum defectus ita exaggerant, quasi Theologia scholastica cum ipsius abusu confundenda esset,

et omninò contemnenda, quoniam illam colere aut tractare plures nescierunt. Qua in re præ oculis habenda est sensatissima illius apologia, quam texuit celeberrimus Melchior Canus, Theologiæ munera, et præcipuè quomodò ratione naturali ea uti oporteat apprimè explicans (*ib. n.* 337 *ad* 351).

§ XXX. Etiam contra indulgentias hac ætate frequentiùs quàm antea concessas et publicatas vehementer clamari solet. Et profectò gravissimos hac in re irrepsisse abusus, præcipuè ab indulgentiarum quæstoribus malitiâ vel ignorantiâ introductos, apertè constat ex ipsis conciliorum Viennensis et Tridentini decretis, quibus patres tanto malo remedium adhibere conabantur. Ratio verò seu methodus, qua indulgentiæ tunc concedebantur, et nunc etiam concedi solent, irreprehensibilis est, et solidis principiis innixa. Duo namque dubitari non debent. Primum, Ecclesiam verâ potestate donatam esse, ut etiam extra pœnitentiæ sacramentum peccatori pœnitentias seu pœnas temporales, quibus Divinæ iustitiæ satisfacere debet, præscribat, atque si oportuerit moderetur. Secundum, esse in Ecclesiâ satisfactionum superabundantiam, tum ratione eorum sanctorum qui temporalibus pœnis plus Deo satisfecerint, quàm eorum facta post baptismum exigere possint; tum præcipuè ob merita et satisfactiones ipsius Christi Domini, à quo totum suum valorem etiam sanctorum satisfactiones hauriunt: hæ autem satisfactiones superabundantes bona communia Ecclesiæ sunt; ac proinde qui eius gubernationi præsunt, ea inter christianos distribuere possunt (*ib. n.* 352 *ad* 367).

§ XXXI. Quòd si hæc duo principia, et alia cum ipsis connexa, præ oculis habeantur, argumenta, quæ contra præsentem indulgentiarum morem adduci solent, facilè dissolvuntur. Denique præsentem indulgentiarum concedendarum praxim ætate quartâ propagatam veræ pœnitentiæ nocuisse, quod passim obiici solet, duplici ex capite evidentis falsitatis convincitur. Primò ex collatione ætatis tertiæ cum quartâ; ex qua apertè colligitur, morum effrenatam intemperantiam et scandala,

sæculis irruptioni barbarorum proximioribus, seu tertiâ ætate, fuisse longè maiora quàm in quartâ: contrà verò in istâ pœnitentiæ exercitia multò fuisse frequentiora ac constantiora. Præterea, si id in quo recentior indulgentiarum concedendarum praxis ab antiquiori distinguitur attentè consideretur, facilè deprehendetur non nisi ex crassissimâ aut potiùs ex affectatâ ignorantiâ posse aliquem indulgentiarum prætextu vitam ad regulas christianæ legis pœnitentem relinquere. Uno verbo, in indulgentiis concedendis ætate quartâ plures abusus irrepserunt; at etiam tempore sancti Cypriani erant presbyteri et fidei confessores, qui in indulgentiarum concessione à christianâ prudentiâ longè declinabant. Quolibet autem tempore praxim aliquam aut doctrinam damnare, quoniam sunt qui eâ abutuntur, intemperantis critices est (*ib. n.* 368 *ad* 376).

CAPUT V.

Summarium historiæ concilii Tridentini.

Concilium generale ferè omnes boni desiderabant: pauci timebant 1. *In Tridentum indicitur* 1. *Incipit: ordinem agendi statuit* 3. *Agit de sacris Libris et Traditione* 4, *de peccato originali, de iustificatione, et sacramentis* 5: *de concilio transferendo in Bononiam* 6. *Reassumitur Tridenti: agitur de Eucharistiâ cæt.: Protestantes* 7: *Suspenditur: Pax religiosa* 8. *Iterum congregatur: acris disputatio circa assiduitatem* 9: *res non statuta manet* 10. *De communione sub utrâque specie: quæstio de episcopatûs origine* 11. *Adventus francorum. De Ordine. Matrimonia clandestina* 12. *De reformatione vehementer disseritur* 13. *Canones de matrimonio attentè consi-*

derandi 13. *Concilium desinit* 15. *Scriptores aliqui qui concilio astitere* 16.

§ I. SIMUL ac Leo decimus plures Lutheri errores damnandos censuit, generalis concilii convocationem magnis clamoribus expetere Lutherus ipse eiusque discipuli non cessabant. Concilium quoque catholici generatim peroptabant; tum quia hac tantùm ratione hæreticorum pertinaciam vinci posse credebant; tum etiam ut morum corruptioni et disciplinæ abusibus, ex quibus clamandi contra Ecclesiam hæretici occasionem sumebant, opportunum adhiberetur remedium. Etiam ob Germanorum gravamina curiæ Romanæ imputata concilium necessarium videbatur, ut nempè iis temperatis aut sublatis, ecclesiæ Germanicæ tranquillitas firmaretur. Non deerant tamen viri scientiâ, prudentiâ et pietate insignes, qui considerato novorum hæreticorum genio, eorum conversioni prorsùs inutile concilium existimabant; et temporum rerumque pensatis circumstantiis, nova dissidia ex reformatione morum ac disciplinæ, si in concilio ageretur, verebantur; eamque aliis rationibus faciliùs commodiùsque fieri posse contendebant (*Lib. XIII. n.* 1 *et* 2).

§ II. Nihilominùs hæreticis appellationem ad concilium effugium adimere, atque in tantis Ecclesiæ malis ad supremum hoc remedium, quo Ecclesia quoties potuit usa est, confugere, opportunissimum videbatur. Itaque Carolo quinto imperatore instante, romanus Pontifex concilium convocavit: variisque obstaculis quæ undique nascebantur superatis, tandem Tridenti celebrari cœpit et post plures annos finitum est. De præcipuis ergo concilii eventibus, ac catholicis veritatibus in ipso definitis, de reformationis decretis, atque de sapientibus viris qui concilio interfuerunt, nonnulla dicamus (*ib. n.* 3 *et* 4).

§ III. Labente anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto solemniter aperiebatur concilium à Paulo tertio convocatum, quod ad incrementum et exaltationem

fidei et religionis christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem et unionem Ecclesiæ, ad reformationem cleri et populi christiani, depressionem et extinctionem inimicorum christiani nominis incipere, et Generale Concilium vocari omnibus placuit. Et quamquam aliqui, *universalem Ecclesiam repræsentans,* addendum contendebant, sicut in conciliis Constantiæ et Basileæ; opportuniùs tamen iudicatum est illud epitheton omittere, quod superfluum esset, utpote rationi concilii generalis seu œcumenici nihil addens, et quoniam ab antiquis conciliis nusquam usitatum fuerat: imò addebant Tridenti eas causas non occurrere quæ Constantienses patres impulerunt, ut in suo concilio non Ioannis vigesimi tertii dumtaxat, ut aiebant, *obedientiam*, sed totam Ecclesiam convocatam esse et repræsentari omnes intelligerent. Præter episcopos non nisi generalibus Ordinum Prælatis sententiam ferendi facultas data est. Sessione secundâ, ab ipso concilii tempore et in ipsâ urbe Tridento morum reformationem à patribus cæterisque fidelibus, vitæ ratione seu operibus ipsis ordiendam, hortabatur concilium: de fide ac morum reformatione simul agendum statuebatur; et omnia primò in congregationibus particularibus multùm agitanda esse, deinde in congregatione generali pertractanda, et tandem in sessione publicâ decernenda (*ib. n.* 5 *ad* 10).

§ IV. Sessione tertiâ, quoniam plures patres Tridentum proximè perventuri erant, non nisi fidei professio symbolo constantinopolitano exprimebatur. Interea tamen congregationibus particularibus et etiam generalibus de Libris sacris et traditionibus agebatur; et articulos etiam iam definitos iterum examinandos esse, deque iis disserendum patres omnes consentiebant. Sessione quartâ Divinam esse sacrarum Scripturarum auctoritatem declaratur: omnes veteris et novi Testamenti libri enumerantur: probatur versio *Vulgata* latina, quin tamen cæteræ, et multò minùs textus græcus et hebraicus improbentur: de accurata Librorum sanctorum editione, eorumque prudenti usu agitur; et non solùm in eos qui Libros ibi enumeratos ut sacros et canonicos non

susceperint, sed in eos quoque qui traditiones ad fidem et mores pertinentes, tamquam vel ore tenus à Christo Domino vel à Spiritu Sancto dictatas, et continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ conservatas, scientes et prudentes contempserint, anathema fulminatur (*ib. n.* 11 *ad* 15).

§ V. Sessione quintâ dogma peccati originalis exponitur: et quinque errores oppositi condemnantur. Duo quoque reformationis decreta, alterum de habentibus stipendium pro lectione sacræ Scripturæ, alterum de Verbi Dei concionatoribus et quæstoribus *eleemosynariis*, edita sunt. Ante sessionem sextam inter duos cardinales nimis vehemens contentio movebatur, alteraque adhuc vehementior inter duos episcopos. Deinde sessione sextâ doctrina catholica circa iustificationem diffusè egregièque explicata est, et triginta tres canones contra errores oppositos sanciti. Etiam reformationis decretum lectum fuit, et quamquam suffragiis auditis de sufficienti eius approbatione Cardinalis præses tunc dubitaret, postea legitimè probatam esse monuit. Sessione septimâ de Sacramentis in genere, baptismate et confirmatione actum est, et contra recentes circa hæc errores triginta canones editi sunt. Quindecim quoque reformationis capita sessione septimâ decernebantur (*ib. n.* 16 *ad* 26).

§ VI. Atque hæc sessio die tertiâ martii anni quadragesimi septimi celebrata est; et cùm ab anni initio pestilens morbus Tridenti in dies ingravesceret, translationem concilii multi ex patribus vehementer optabant; et tandem vigesimâ primâ die aprilis Bononiam se transferre concilium sanxit, hispanis vehementer repugnantitbus, et Tridenti manentibus. Mox ut Imperator hanc sranslationem novit, concilium regredi Tridentum instantissimè expetebat, præcipuè quoniam in *Dietâ* Augustanæ eiusdem anni *Protestantes* decretis concilii Tridenti celebrandi se subiicere spondebant. Imperatoris legati tam Bononiæ coram concilio, quàm Romæ coram consistorio nullam esse translationem protestabantur: et Pontifex, ut maiora dissidia præcaveret, litem excitari

permisit, utrum nempè valida esset an nulla translatio; concilii Bononiensis patribus præcipiens, ut hac lite pendente ab omni actu conciliari abstinerent (*ib. n.* 27 *ad* 34).

§ VII. Postea labente anno quinquagesimo Iulius tertius concilium in urbe Tridentinâ reassumi iubebat; et licèt Rex Franciæ contrà niteretur, iterum ibi congregatum est: et anni quinquagesimi primi mense octobri sessio tertia decima celebrata, in qua octo capitibus undecimque canonibus Eucharistiæ doctrina explicata fuit, erroresque contrarii damnati, atque plura circa iurisdictionem ecclesiasticam reformata. Item *protestantibus* amplissima potestas in Concilium commeandi concessa est. Mense sequenti sessione quartâ decimâ doctrina de sacramentis pœnitentiæ et extremæ-unctionis fusè exponebatur; erroresque quindecim circa pœnitentiam, et quatuor circa extremam-unctionem inurebantur anathemate. Quod reformationem spectat, de honestate cleri ac præcipuè parochorum plura simul sanciebantur. Tunc quidam ex *protestantibus* Tridentum accedebant, Concilio se subiicere offerentes quinque pactis seu conditionibus appositis. Erant istæ aut multùm arduæ, aut omninò intolerabiles: Concilium autem cum ipsis quantâ indulgentiâ posset, agere decernebat, et liberum commeatum iis dari, quibus verbis voluerint expressum (*ib. n.* 35 *ad* 51).

§ VIII. Anno sequenti quinquagesimo secundo iterum suspendebatur Concilium ob innovatum à *protestantibus* bellum: quod cùm Regis Franciæ auxilio nimis prosperè contra Imperatorem agerent, pacem, quam religiosam vocant, in *Dietis* seu comitiis Passaviensi et Augustanâ consecuti sunt. Deinde anno quinquagesimo quinto, defuncto Iulio tertio succedebat Marcellus secundus: qui cùm paucos post dies moreretur, Pontifex eligebatur Paulus quartus. Vir erat iste maioris zeli quàm prudentiæ, post cuius mortem eius statuæ à populo commoto deiectæ sunt, illiusque cognati postea severè puniti. Paulo subrogabatur Pius quartus (*ib. n.* 52 *ad* 58).

§ IX. Anno sexagesimo secundo Pii papæ sollicitudine Concilium instauratur: super clausula *proponentibus legatis* nova se se offert disputatio quæ pacificè transigitur; et iterum *protestantes* amplissimâ accedendi libertate accersiti sunt. Tunc præcipuè magnâ animorum contentione disputabatur, tractandum ne foret et decernendum commorationem episcoporum et parochorum in suis ecclesiis esse iure Divino præceptam. Plures hanc discussionem omninò superfluam iudicabant: cùm enim residendi legem gravissimam esse nemo ambigat, potiùs, aiebant, quàm eius originem, media exquirere oportet quibus fideliter servetur. Sunt etenim leges plures Divinæ, etiam ex iis quæ in decalogo continentur, minùs fideliter observatæ quàm leges quædam ecclesiasticæ, ut ea est audiendi Missam. Præterea quas excusationes nunc adhibere solent qui in suis ecclesiis non resident, easdem facilè adducent, etsi lex Divina declaretur, dicentes ad eas circumstantias legem non extendi. Imò ex hac declaratione nova inter catholicos circa iurisdictionem ecclesiasticam verebantur dissidia, quæ diligentissimè vitanda monebant; præsertim cùm nullus apud hæreticos circa assiduitatem novus error appareret (*ib. n.* 59 *ad* 62).

§ X. Contrà verò ex aliorum sententiâ cùm pœnæ in antecedentibus conciliis contra non residentes sancitæ grassantem abusum cohibere non potuissent, necessarium videbatur legi assiduitatis maiorem auctoritatem ex eius origine conciliari, ut fideliter servaretur. Addebant exemplum sancti Pauli, qui, ut suis præceptis pondus adderet, quandoque monebat ipsum Dominum ita præcipere. Imò Concilium, aiebant, ab hoc examine et definitione excusari non potest, cùm res gravissima sit, et à pluribus episcopis instanter expetita. Quia tamen plura Patrum suffragia ambigua videbantur, proponebant legati ut omnes per simplex verbum *placet* vel *non placet* suam sententiam de dubio proposito clarè proferrent. Plures tamen constanter propugnarunt liberos esse Patres, non solùm ut affirmativam aut negativam sententiam præcisè amplecterentur, sed etiam ut à suffragio ferendo abstinerent, aut quibuslibet conditionibus addi-

tis manifestarent. Itaque de re longè pertractatum est, eaque in medio relicta *(ib. n. 63 et 64)*.

§ XI. Eodem anno sexagesimo secundo celebrabatur sessio vigesima, in qua communionem Eucharistiæ sub utrâque specie adultis necessariam non esse decernebatur, neque pueris realem Eucharistiæ susceptionem. Et duo super decretis iam in congregatione generali approbatis dubia excitabantur: alterum ab archiepiscopo Granatensi, cuius sollicitudine quædam verba ad maiorem unius decreti perspicuitatem addita sunt; et alterum à quibusdam theologis, qua occasione iterum considerata et in examen vocata res est, licèt nihil immutatum. Ex quibus facilè intelligas verba omnia decretorum et canonum à Concilio diligentissimè expendi; et quemlibet non episcopum modò, sed etiam theologum, quod libuerit liberrimè exponere, etiam ipso die sessionis publicæ potuisse. Sessione vigesimâ secundâ doctrina catholica circa Missæ sacrificium explicata est; et romano Pontifici commissum, ut provinciis Germaniæ communionem sub utrâque specie exposcentibus concederet vel negaret, prout ipsi opportuniùs videretur. De episcopatûs origine ferventissimè disputatum est: et in hispanos itali quidam imprudentissimè et violenter invehebantur; legati verò Pontificis in hispanorum defensionem, italos reprehendendo, bis locuti sunt *(ib. n. 65 ad 72)*.

§ XII. Hæc disputatio illaque de Divinâ assiduitatis lege postea tepescebant, advenientibus episcopis, abbatibus et theologis è regno Franciæ; qui cùm hos articulos à Concilio definiri necessarium non arbitrarentur, hispanorum ardorem temperabant. Ipsi tamen minùs quàm hispani erga romanum Pontificem obsequentes, ipsum Concilio inferiorem declarare contendebant, et nimis multa circa disciplinam reformare conabantur. Inde sessio vigesima tertia pluries differebatur, donec mense iulio anni sexagesimi tertii celebrata est; et in ea doctrina de sacramento Ordinis quatuor capitibus et octo canonibus summo omnium consensu exposita. Tunc de matrimoniis clandestinis cassandis seriò tractabatur, legatis Regis Franciæ id instantissimè poscentibus. Atque ferè

omnes Concilii patres, re perpensâ, statim consentiebant Ecclesiam posse lege prohibere ne tali modo fiat contractus qui ad sacramentum elevatur : sicut antea prohibuerat fieri contractum inter has vel illas personas, v. g. inter cognatos cognatione spirituali, et saltem hac ratione posse Ecclesiam irritum facere matrimonium clandestinum, seu quod celebratur sine præsentiâ parochi et duorum saltem testium. Tandem mutatis sæpè quibusdam verbis, ac romani Pontificis approbatione accedente, decretum ea irrita declarans magno plausu acceptum est. Contendebant etiam, frustrà tamen, legati Regis Franciæ ætatem à Concilio decerni, ante quam filii sine consensu parentum matrimonium ritè contrahere non possent (*ib. n.* 73 *ad* 78).

§ XIII. Interea de reformatione morum et disciplinæ efficaciter agebatur, volente romano Pontifice ut inexpectato ipsius consensu disputaret et decerneret Concilium quæ iudicaret opportuna. Legatus tamen Regis Franciæ insufficientissima clamabat esse decreta reformationis in concilio ad deliberandum proposita; illud verò quod de Regibus agebat, omninò intolerabile. Aliunde Regis Hispaniæ legatus Concilium diutiùs durare contendens, diversa dubia excitabat. Imperator tamen Pontificis et Patrum ferè omnium votis annuens, legatum suum Concilii conclusionem festinare iubebat. Itaque sessio vigesima quarta habita est, et doctrina de matrimonio duodecim canonibus sancita. Deinde decem capitibus, quorum primum de clandestinis matrimoniis agit, huius sacramenti disciplina in aliquibus reformatur. Etiam alia viginti reformationis capita constituuntur; et clausula *proponentibus legatis*, ne conciliorum libertati ullum præiudicium afferat exponitur (*ib. n.* 79 *ad* 81).

§ XIV. Iam verò canones circa matrimonium attentissimè considerandi sunt. Ac circa primum speciatim observandum est in novâ Lege verum esse sacramentum, quo coniuges aptè dispositi verè sanctificantur; et nihilominùs inter christianos plura esse posse matrimonia, quæ sacramenta non sint. Secundus, Divinam legem quæ polygamiam simultaneam prohibet, commemorat. In

tertio et quarto Ecclesiæ asseritur ius inesse ad leges edendas circa matrimonia, etiam illas quæ matrimonium irritum faciant, seu ad impedimenta etiam dirimentia, ut aiunt, constituenda; quin tamen supremæ potestati civili idem ius denegetur, ad huiusmodi leges ferendas circa contractus qui ad sacramenti dignitatem elevantur. Nihil enim impedit quominùs utraque potestas, ecclesiastica et civilis, utpote in suo genere suprema, leges quibus matrimonia impediantur, unaquæque ad suos proprios fines promulgent. In quinto decernitur ob hæresim matrimonium non dissolvi; quin tamen inde concludi possit infidelitatem non dissolvere matrimonium quando coniux infidelis cum fideli cohabitare non vult. Sextus canon matrimonium ratum non consummatum solemni professione religiosâ alterutrius ex coniugibus dirimi asserit: in quo cautè observandum est unde hæc dissolutio oriatur. Septimus, adulterio matrimonium non dissolvi declarat esse doctrinam Evangelio et Apostolis conformem: in quo tamen contrariam græcorum sententiam non damnari animadvertendum est. Octavus iustas separationis quoad thorum et cohabitationem inter coniuges esse posse causas declarat. Nonus, clericos in sacris initiatos, et regulares solemniter castitatem professos matrimonium non posse contrahere. Decimus, coniugalem statum virginali non esse præferendum. Undecimus, benedictiones et cæremonias Ecclesiæ circa matrimonium non esse damnandas. Et duodecimus, neque negandum causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare: in quo de pluribus eiusmodi causis sæculares iudices cognoscere, Concilium non prohibet (*ib. n.* 82 *ad* 84).

§ XV. Demum sessio vigesima quinta diebus tertiâ et quartâ decembris celebrabatur; et in eâ decreta de *purgatorio*, de invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, atque de sacris imaginibus: item capita viginti duo de reformatione regularium et monialium, et alia viginti unum de reformatione generatim edebantur. Etiam decreta de indulgentiis, de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis, de indice librorum, catechismo, breviario et missali, et alia quæ ad conclusionem convi-

lii pertinebant. Tunc festivis acclamationibus, in antiquis conciliis frequentibus, Tridentino finis impositus est. Pius quartus illius decreta lubentissimè probavit; atque à catholicis regnis, et magno provincialium conciliorum numero receptum fuit. Quæ verò hæretici contra Tridentinum concilium, ac præcipuè circa eius libertatem calumniosè dictitare solent, facilè dissolvuntur (*ib. n.* 85 *ad* 95).

§ XVI. Nunc de legatis Pontificis, Imperatoris ac Regum, ac de præclaris episcopis atque theologiæ et iuris canonici magistris, qui Tridentinæ synodo interfuerunt, nonnulla dicenda forent. Sufficiet tamen eorum nomina indicare, qui orbi litterario scriptis suis magis innotuerunt: nempè Fridericus Nausea, Catarinus, Diaz de Lugo, Clarius, Alphonsus de Castro, Gropperus, Lippomanus, Dominicus et Petrus Soto, Canus, Oleaster, Alava Esquivel, Seripandus, Laynez, Perez de Ayala, Hortolanus, Hesselius, Menchaca, Naclantus, Vega, Zamora, Carvajal, Medina, Gonzalez de Mendoza, Paiva de Andrade, Antonius et Didacus Covarrubias, Stanislaus Ossius, Fontidonius, Forerius, Suarez, Villalpandus, Blanco, Orantes, Torres, Salmeron, Cassalius, Vellosillus, Canisius, Arias Montanus, Sotomaior: et ut plures alios prætercam, Franciscus de Vargas regii Fisci in supremo Castellæ senatu procurator, et celebris iurisconsultus; cuius per Europam vulgatæ sunt epistolæ, quibus in odium concilii Tridentini plures iniustissimè abutuntur (*ib.* 132 *ad* 144).

CAPUT VI.

Summarium decretorum Concilii de reformatione.

Multa ad speciem opportuna non decernuntur 1. *De abusibus Romanæ curiæ cautè et prudenter agitur. Fidei professio* 2. *De honestate cleri, et præcipuè de episcopis* 3. *De eorum assiduitate, visitatione, aliisque oneribus* 4: *de canonicis, et parochis* 5: *de Regularibus* 6: *de cleri seminariis; et de quibusdam abusibus tollendis* 7. *Vera et opportuna Ecclesiæ reformatio facta est* 8.

§ I. Licet de reformandis moribus et disciplinâ prolixis collationibus ab initio egerint concilii Patres, accuratiùs tamen ferventiùsque in ultimis sessionibus. Communio sub utrâque specie, matrimonium sacerdotum, et vulgarium linguarum in officiis ecclesiasticis usus ab aliquibus opportuna credebantur, ut populi ab hæreticorum affectu faciliùs retraherentur. At re gravissimè collatâ, Pontifici committebatur communionem sub utrâque specie iis concedere, quibus opportunum æstimaret. Contra matrimonium sacerdotum adeò unanimiter firmiterque opinabantur Patres, ut eius permissionem Concilio proponere nemo ausus fuerit. Usus verò linguarum vulgarium in administratione sacramentorum et Missæ sacrificio tam latam portam diversis erroribus aperit, atque tot et tam gravia incommoda secum affert; contrà verò tam facilè præcaventur et reparantur quæ ex usu linguæ latinæ adduci solent, et iste usus ad unitatem Ecclesiæ, ad fidei puritatem, et ad communionem ecclesiasticam inter fideles

adeò præstat, ut mirum sit homines aliunde sensatos hanc mutationem etiam his ultimis temporibus intendisse (*Lib. XIII. n.* 96 *ad* 99).

§ II. Circa romani Pontificis auctoritatem, et curiæ Romanæ abusus, rem sanè gravissimam et undequaque scopulis plenam prudentissimè agebat Concilium. Omnibus episcopis, parochis, canonicis, et Studiorum generalium magistris iniunxit fidei catholicæ dogmata, speciatim quæ Concilium definivit, recipere ac profiteri, seu integram fidei professionem emittere. Canones antiquos observari, et concilia provincialia et diœcesana frequenter celebrari iussit (*ib. n.* 100 *ad* 103).

§ III. Statuit sancta Synodus ut quæ aliàs à summis Pontificibus et sacris Conciliis de clericorum vitâ, honestate, cultu, doctrinâque retinendis, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel maioribus, pro arbitrio *Ordinarii* imponendis, observentur; nec appellatio executionem hanc quæ ad morum correctionem pertinet suspendat. Episcopos monet ut se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloriâ vocatos esse intelligant. Opportunissima sunt quæ de episcoporum vivendi ratione ac de eorum electione Concilium præcipit et consulit (*ib. n.* 104 *ad* 107).

§ IV. Inter alia eos in suis ecclesiis residere sanctissimè iubet, et verbum Dei populis prædicare: summâ vigilantiâ cavere, ne aliquem minùs dignum clero adscribant; ea omnia prohibere, atque è medio tollere, quæ vel avaritia idolorum servitus, vel irreverentia quæ ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio seu veræ pietatis falsa imitatio, in Missæ celebrationem induxerint. Opus est etiam episcopos diœceses suas frequenter visitare, et sibi subditos præcipuè clericos efficaciter corrigere. Ut autem episcopi gravissima officii sui munera faciliùs exequantur, iurisdictionis suæ usus in pluribus amplificatur, præcipuè ut quæ ad morum re-

formationem præcipiant, sine obstaculo protinùs adimpleantur *(ib. n.* 108 *ad* 117 *)*.

§ V. Statuitur qui et quales ad dignitates et canonicatus ecclesiarum cathedralium et collegiatarum vocari et admitti debeant : eos omnes officia sua non per substitutos sed per se obire compellendos : tertiam partem fructuum et obventionum omnium in distributiones quotidianas convertendam : qua ratione canonicorum mali mores ab episcopo corripiendi ; aliaque multa ad eorum reformationem opportunissimè providentur. Item ut parochi non nisi moribus, doctrinâ, prudentiâ, aliisque dotibus magis idonei viri eligantur, multa decernit Concilium ; sicut etiam ut electi omnes prædicationi Divini verbi, catechismi instructioni, sacramentorum administrationi, cæterisque officii sui muneribus sedulò incumbant : atque ut novæ parochiales ecclesiæ, ubi opus fuerit, erigantur, et parochorum congruæ sustentationi provideatur *(ib. n.* 118 *ad* 121 *)*.

§ VI. De reformatione Regularium multis etiam actum est. Ac primò quidem non vota modò, sed præcepta ad communem vitam, victum et vestitum pertinentia fideliter servari : religiosam professionem non fieri ante decimum sextum annum expletum, nec nisi post annum integrum probationis : clausuram monialium exactissimè custodiri : proprietatis vitium à monasteriis extrudi : regulares à suis domiciliis non nisi prælato mandante recedere : aliaque plura etiam de religiosis pravis corrigendis, et monasteriis collapsis instaurandis eo fine iubentur, ut religiosorum vita ad veram monasticam disciplinam faciliùs et maturiùs revocetur : nec non à regularibus publicari et servari censuras, interdicta, diesque festos, ab episcopis præcepta. In omnibus etiam monasteriis, in quibus commodè fieri possit, lectionem sacræ Scripturæ, quæ dignioribus magistris commendetur, haberi iubet Concilium *(ib. n.* 122 *et* 123 *)*.

§ VII. Eandem lectionem in ecclesiis cathedralibus institui præcepit pro instructione cleri sæcularis : ad cuius rectam educationem, à teneris annis ad pietatem et religionem clericos informari, in collegio recipi, in

disciplinâ ecclesiasticâ institui, et sanctos mores induere, vehementer optat Concilium; atque ut huiusmodi ministrorum Ecclesiæ seminaria erigantur, eorum sumptibus necessariis provideatur, et opportunè gubernentur, multa præclarè disponit. Eleemosynarum, sub prætextu indulgentiarum, quæstores omnes removentur: duella aliique plures abusus severè damnantur: matrimonii impedimenta aliqua tolluntur; et in huius sacramenti disciplinâ nonnulla reformantur (*ib.* 124 *ad* 127).

§ VIII. Denique ut Concilii decreta faciliùs serventur, episcopos decernitur ut sanctæ Sedis delegatos agere, quando circa eorum iurisdictionem dubia vel obstacula occurrere poterant, quæ episcoporum iussa remorarentur. Atque ita Tridentina synodus suis de reformatione decretis eos omnes abusus, quos Paulo tertio gravissimi viri corrigendos repræsentaverant, omninò sustulit, aliisque tollendis et præcavendis viam stravit: ut facilè colligas veram reformationem Ecclesiæ, et quæ eo tempore opportunior erat, à Concilio sancitam fuisse (*ib. n.* 128 *ad* 131).

ÆTAS QUINTA

A FINE CONCILII TRIDENTINI AD ELECTIONEM USQUE PII SEPTIMI.

CAPUT I.

De iudæis, gentilibus, mahometanis, quakeris, *et* liberis muratoribus.

Res quintæ ætatis difficiliùs exponuntur 1. *Iudæorum conventus in Hungariâ* 2. *Post hunc alter celebrior Parisiis* 3 : *cuius acta attentè consideranda* 4. *Ecclesia multa passa est ab idololatris et mahometanis* 5. Quakeri, *seu* Trementes 6. Liberi muratores *multiplicis generis* 7.

§ I. Ecclesiam in ætate quintâ, quæ ad nostra usque tempora pertingit, considerare aggredimur : ipsa autem rerum dicendarum propinquitas distinctam et accuratam earum expositionem difficillimam reddit, præcipuè circa diversas inter catholicos ipsos controversias, quæ nimio æstu agitabantur, et in quibus sæpè factionis amor vel odium, quasi amor vel odium Ecclesiæ repræsentabantur : dum scilicet plures erant, qui prætermisso bono perfecto, quod est bonum totius Ecclesiæ, particulare bonum

suimetipsorum, vel sui collegii aut familiæ tantùm quærebant. Age itaque sine irâ et odio, quorum causas procul habeo, de externis Ecclesiæ inimicis à quibus impugnata est, de religiosis ordinibus et ecclesiasticis scriptoribus qui eam illustrarunt, de episcopis qui gubernarunt, et de præcipuis eventibus qui hac ætate contigerunt, nonnulla dicamus.

§ II. Iudæi, quibus inter inimicos Ecclesiæ christianæ primus locus non iniuriâ hactenùs datus est, per totum orbem dispersi et obstinati ut antea persistunt. Circa dimidium sæculi decimi sexti plus quàm trecenti Rabbini, et magnus aliorum iudæorum numerus in Hungariâ conveniebant, gravissimam quæstionem tractaturi, an nempè Messias iam advenisset. Pauci fuere, qui longam gentis captivitatem non alterius criminis quàm negati Messiæ pœnam esse posse rati, Iesum-Christum ut verum Messiam agnoverunt: cæteris, totâ ferè concione, in pertinaciâ et incredulitate permanentibus *(Lib. XIV. n. 1 et 2)*.

§ III. Longè tamen celebrior est iudæorum conventus seu synedrium præsentis sæculi decimi noni anno sexto Parisiis convocatum. Cùm enim in Franciâ, dum monarchia in democratiam seu potiùs in anarchiam versa, hominum conditiones ac mores omninò turbarentur, iudæis religionem suam publicè profitentibus civium conditio data fuerit, et postea à primo Imperatore confirmata, de pluribus ab isto interrogati fuere, et ut totius gentis iudaicæ nomine respondere possent, concessa facultas frequentissimum conventum et etiam magnum synedrium Parisiis convocandi *(ib. n. 3)*.

§ IV. Die secundâ martii anni septimi de polygamiâ, repudio, matrimonio, fraternitate, de relationibus moralibus, civilibus et politicis cum cæteris populis, de professionibus utilibus, de mutuo sive usurâ inter israëlitas et eos qui non sunt, quæ dogmata iudæi amplecti debeant, synedrium Parisiense exposuit; in cuius decretis plurima quæ iudæos cæteris populis infensa profiteri passim fertur, aut temperant aut negant: iustum Regum ac Principum ipsis imperantium dominium agnos-

cunt; et ita loquuntur, quasi Messiam patriarchis promissum et à totâ gente expectatum, non ipsius gentis temporale dominium in Palæstinâ instauraturum, nec cæteros populos iudaico subiecturum, tandem cognovissent *(ib. n. 3)*.

§ V. Ecclesia in hac quintâ ætate multa ab idololatris, præcipuè in Iaponiâ, passa est; ut postea videbimus, dum rei christianæ in totâ Europâ, Asiâ, Africâ, et Americâ statum considerantes, de præconibus evangelicis nomen Christi populis barbaris nuntiantibus nonnulla dicemus. Tunc schismatis genium apud græcos etiam nunc summo cum imperio dominari observabimus: et mahometanos constanti odio in Ecclesiam actos in christianos sibi subditos nunc huius nunc illius populi aut provinciæ frequentes sævasque persecutiones movere, atque generatim quemcumque mahometanum qui christianus fiat, et christianum qui mahometanum aliquem convertere curet, morti adhuc hisce temporibus à suis legibus et iudicibus adscribi *(ib. n. 4 et 5)*.

§ VI. Sæculo decimo septimo *Quakerorum* seu *Trementium* secta nascebatur, quæ in Pensilvaniâ Americæ septentrionalis provinciâ latè diffusa est. *Quakeri* christianos se profitentur; et tamen baptismum aliaque sacramenta ferè inutilia æstimant, et ministerium ecclesiasticum nullum esse aiunt, Spiritum Sanctum sibi persuadentes nunc huic, nunc illi, quandoque etiam mulieribus, in christianorum conventibus dicenda inspirare. Ad mores quod attinet, sobrietatem, modestiam, veracitatem et gravitatem mirè commendant: æqualitatis et fraternitatis inter homines talem ideam habent, ut etiam cum Regibus et magistratibus, quasi cum fratribus loquendum sentiant; et à iuramento adeò abhorrent, ut nunquam licitum esse tueantur *(ib. n. 6)*.

§ VII. *Liberorum muratorum* nomine plurimæ et non parum inter se discrepantes societates seu conventus sæculo decimo octavo in diversis Europæ provinciis formabantur. In aliquibus huius nominis conventibus plura in malum Ecclesiæ et Reipublicæ dicta, facta et parata fuisse dubitari non potest; et arcanum, quo omnia quæ

in huiusmodi conventibus aguntur velari solent, malam de ipsis opinionem suggerit. Nihilominùs aliquos de rebus non reprehendendis acturos, neque suorum conventuum dicta et gesta secreto iuramentis *execratoriis* firmato obducentes, neque præsidi cæcam obedientiam spondentes, nomine tamen *liberorum muratorum* in Angliâ ac etiam in Franciâ præcipuè postremis hisce annis convenisse, verisimillimum est. Quos tamen eo iure reprehendas quòd ridiculè et supervacuò nomen assumant, quod universæ religionis contemptum, et effrenem contra populorum rectores loquendi licentiam, imò et conspirandi in supremas potestates pruritum facilè significaverit *(ib. n. 7 ad 9)*.

CAPUT II.

De Protestantibus.

Diversæ confessiones fidei lutheranorum, et reformatorum 1. *Duo reformationis genera valdè diversa* 2. *Bellum* sacramentarium. *Augustana confessio* 3. *Lutheri furor. Melancton. Polygamia* 4. *Origo reformationis in Angliâ. Lutheranorum* semipelagianismus 5. *Calvini errores novi, etiam de Eucharistiâ* 6. *Protestantes frustrà doctrinæ ac ministrorum successionem ante se ipsos quærunt* 7. *Causa Piscatoris, nonnullæque synodi* 8. *Causa Arminianorum, et synodus Dordracena* 9. *Calviniana inamissibilitas gratiæ, et certitudo salvationis* 10. *Doctrina catholica de iustificatione* 11. *Lutheri nova idea de iustitiâ imputatâ* 12. *Ridiculæ propheticæ et calumniæ contra romanum Pontificem* 13. *Variatio protestantium circa Ecclesiam* 14. *Negatâ infallibilitate Ecclesiæ facilis lapsus usque ad* scepticismum 15. *De tolerantiâ theo-*

logicâ, philosophicâ et civili 16. *Catholica Religio de tolerantiâ rectissimè docet* 17.

§ I. Dé diversis cœtibus seu sectis eorum qui *protestantes* vocari solent, et de bellis ipsorum occasione excitatis, aliqua iam dicta, et postea dicenda sunt. Hìc autem de eorum præliis cum catholicis circa doctrinam, nonnulla indicabo ex his quæ Illustrissimus Bossuetus in *Historiâ ecclesiarum protestantium* doctè et eruditè disserit. Ac primò quidem certissimum est novam reformationem in gravibus doctrinæ articulis multùm variasse; variatio autem in fidei expositione falsitatis indicium est. Imò cum reformati in duos præcipuè cœtus seu partes dividantur, Lutheranorum nempè, ac eorum qui Zuinglii et Calvini placita præferunt et *Reformatorum* nomen retinent; apud utrosque fidei confessiones, seu fidei suæ profitendæ formulæ, plures et inter se sat diversæ sunt. Hæc autem multiplicitas neque necessaria foret si eorum fides esset semper eadem, neque ullâ ratione excusari potest (*Lib. XIV. n.* 10 *ad* 17).

§ II. *Protestantes*, reformationem Ecclesiæ à sanctis viris iam pridem expetitam ipsos attulisse, falsò gloriantur. Non enim morum et quorumdam disciplinæ articulorum reformatio, cum reformatione aut mutatione doctrinæ ac præcipuorum actuum Divini cultûs confundenda est. Illam sanctus Bernardus, et boni quique præcedentium sæculorum viri ardenter optabant: hanc iidem ipsi exhorrebant; et Albigenses erant, Waldenses, Wicleffus et Hus, qui inducere conabantur. Illi vitia et abusus Ecclesiæ faciem deturpantia deflebant, neque ideò ab Ecclesiæ fide vel unitate recedebant: isti, contra Domini præceptum, cathedram ob vitia sedentium in eâ despicientes, potestatem à Deo suis Pontificibus datam negabant; quasi ob vitia et abusus Ecclesiam suam ante consummationem sæculi Dominus derelicturus esset. Quæ si attentè considerantur, et Lutheri dogmata, facta, genius et mores observentur, non cum reformatoribus sanctis et mansuetè operantibus, sed cum Wicleffitis,

Hussitis et similibus numerandum esse; imò in motibus excitandis et in vehementi contra catholicos odio turbidos reformatores omnes superasse, indubium est (*ib. n.* 18 *ad* 22).

§ III. Inter Lutherum et Carlostadium atrox ciebatur bellum, quod *sacramentarium* vocari solet, atque modo non minùs ridiculo quàm Evangelii doctrinæ adverso Oriemundæ declarabatur. In eo de reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ inter se disputant. Uterque Scripturam sacram manifestè pro se stare contendit: unde uterque falsum demonstrat præcipuum totius reformationis fundamentum, nempè Scripturam solam sufficientem esse controversiarum fidei iudicem. Editur postea Augustana confessio, quam Bucerus et Zuinglius in multis impugnant; et in qua et eius apologiâ aliqua conservabantur dogmata, postea à lutheranis reiecta; atque de fide catholicorum plura calumniosè dicebantur (*ib. n.* 23 *ad* 29).

§ IV. Lutherus, qui suam novam ecclesiam nullo modo armis defendendam esse initio clamabat, postea furore anti-evangelico correptus sectarios suos ad arma in Principes, etiam in Imperatorem sumenda inducebat; *romanum Pontificem esse verum antichristum*, quasi novum fidei articulum credere iubens. Melancton, vir naturâ sincerus, in cœtu reformationis permanet, etiam posteaquam eius vitia et defectus noverat; atque plura levitatis animi, imò etiam *fanatismi* indicia dabat. Non Melancton modò, sed plures alii ex præcipuis *protestantium* magistris simultaneam polygamiam Hassiæ Landgravio licitam concedunt (*ib. n.* 30 *ad* 35).

§ V. Interea monstruosa reformatio ex vitiis Henrici octavi et vilissimâ Cranmeri adulatione in Angliâ nascebatur. Henricus enim contra romanum Pontificem, quòd vitia sua probare nollet, irâ excandescens, et odium pro fidei regulâ sumens, Sedis Apostolicæ auctoritatem omnem negabat, seque ecclesiæ Anglicanæ caput constituebat. Hunc verò errorem maximum plures alii Eduardi sexti tempore facilè consequebantur. Observat deinde Bossuetus, lutheranos, qui contra arbitrii libertatem

immaniter locuti fuerant, tandem in semipelagianismum incidisse (*ib. n.* 36 *ad* 39).

§ VI. Calvini errores ac nova systemata accuratè exponit, atque hac occasione doctrinam catholicam de Eucharistiâ egregiè explicat. Conspirationem Ambaciæ, bellaque Franciæ ex falsis de religione principiis orta esse ostendit; atque calvinistas novas fidei confessiones iterum edidisse. Etiam in Angliâ, regnante Elisabethâ, fidei dogmata Eduardi tempore suscepta, præcipuè circa Eucharistiam, mutabantur (*ib. n.* 40 *ad* 46).

§ VII. Ut verò fidei ecclesiæque suæ novitatem *protestantes* dissimulare aut obtegere valeant, maiores suos, seu familiarum suarum progenitores, inter Albigenses, Waldenses et Hussitas quærere solent. Inter istos neque doctrinæ conservationem, cùm in multis gravissimis inter se discrepent; sed neque ministrorum ordinariâ et legitimâ missione sibi succedentium seriem, invenire possunt. Possunt tamen facilè observare, quatuor illas antiquas sectas, sicut *protestantes* omnes, Scripturam sacram, non prout ab Ecclesiâ exponitur, sed pro cuiuslibet captu intellectam, ut regulam unicam credendi assumere, et tamen in varia inter se omninò pugnantia dogmata omnes abire (*ib. n.* 47 *et* 48).

§ VIII. Agit etiam Bossuetus de celebri causâ Piscatoris. Erat hic theologiæ apud calvinistas magister; et nobis imputari propugnabat iustitiam Iesu-Christi, non totius vitæ, sed tantùm in cruce. Cùm enim, aiebat, hæc iustitia infiniti valoris sit; supervacaneum foret, iustitiam aliorum operum Christi nobis imputari. Hunc errorem quatuor calvinistarum synodi initio sæculi decimi septimi celebratæ condemnarunt: eâ præcipuè ratione, quòd licèt infinitus sit valor passionis Domini, non inde tamen colligi debet aliorum operum Christi iustitiam nobis non imputari, cùm omnium operum Christi una sit obedientia et iustitia ab initio vitæ suæ ad mortem usque continuata. Bossuetus verò iure observat eos qui Piscatorem damnarunt, doctrinam catholicam circa Missæ sacrificium damnare non posse. Catholici enim infinitum valorem propitiationis

crucis Christi ultrò confitentur; sed intercessionem, obedientiam et oblationem Iesu-Christi in cœlo et in nostris altaribus, continuationem esse aiunt obedientiæ et sacrificii crucis, seu eandem esse obedientiam, quæ in vitâ, passione et morte Christi incœpit, nunc in altaribus nostris perseverat, estque in cœlo æternùm duratura (*ib. n.* 49).

§ IX. Celebrior quàm istæ synodi de causâ Piscatoris, ea Calvinistarum fuit, quæ Dordraci anno supra millesimum sexcentesimo decimo octavo contra Arminianos seu *repræsentantes* celebrata est; in qua delecti non Batavi modò, sed Hassii, Angli, Scoti, Palatini, Bremenses et Helvetii calvinistæ theologi convenere. In eâ durissima Calvini dogmata de gratiâ seu fide iustificante, etiam eius *totalis* ac *finalis* inamissibilitas, in qua Iesus-Christus cum Belial, seu gratia cum crimine in eodem homine simul unita agnoscuntur, à totâ sectâ unanimi voce defendebantur, et Arminiani contrà sentientes ecclesiæ communione et docendi potestate privabantur. Calvinistæ Franciæ, qui concilio interesse non potuere, illud postea probabant et laudabant. Iam verò Arminiani ante concilium Dordracenum iudices ferè omnes recusabant, et postea contra eius decreta protestabantur, eadem omninò contra Calvinistas adducentes, quæ isti et alii *protestantes* contra Tridentinum concilium allegaverant: unde Calvinistæ eadem in sui defensionem Arminianis opponebant, quæ priùs à catholicis contra *protestantes* adducta ipsi contempserant (*ib. n.* 53 *ad* 55).

§ X. Præcipua capita in synodo Dordracenâ decisa erant inamissibilitas gratiæ et certitudo salvationis. Catholici aiunt fieri posse ut iustus amittat gratiam, et ut nunquam illam recuperet. Licèt enim de Dei bonitate securus sit, suam tamen debilitatem timere debet. Imò nisi ex revelatione speciali nunquam omninò certus est se esse in gratia, et multò minùs se in illâ perseveraturum usque ad mortem, seu salvandum fore. Lutherani et Arminiani fatentur iustum non esse certum perseverantiæ suæ; et gratiam amitti posse: contendunt tamen iustum omninò certum esse suæ iustitiæ *actualis*.

Puri autem Calvinistæ cum suo magistro contendunt gratiam iustificantem seu veram fidem amitti non posse *totaliter* seu omninò, nec *finaliter* seu ita ut non recuperetur. Unde aiebat synodus Dordracena veros fideles, licèt atrocibus seu capitalibus criminibus Deum offendant, *non amittere gratiam, sed gratiæ sensum*, quem postea abs dubio recuperant. Atque damnabat synodus ut errorem, asserere in hac vitâ absque speciali revelatione neminem certum et securum esse posse, ut ad mortem usque in gratiâ perseveraturus sit *(ib. n. 54)*.

§ XI. Catholicam de iustificatione, seu de gratiâ qua nobis peccata remittuntur et Deo grati seu iusti reddimur, doctrinam, perspicuè ac simpliciter exponit Bossuetus; atque luculenter ostendit Lutheri et Calvini de iustitiâ imputativâ et fide iustificante errores exinde natos esse, quòd notiones perspicuas, simplices, atque verissimas catholicorum contempserint. Catholici altè confitentur solùm ex meritis Christi satisfieri potuisse Divinæ iustitiæ, quæ genus humanum ob peccata debebat, totamque iustitiam nostram esse effectum iustitiæ Christi, seu gratias omnes quibus aut iusti sumus, aut benè operamur, nobis conferri ex meritis Christi. Quibus addunt: 1° nos fieri quidem iustos per iustitiam Christi nobis communicatam, seu per gratiam quæ ex meritis Christi nobis datur. Hanc autem gratiam aut iustitiam, qua iusti sumus, in nobis ipsis esse, sicut in nobis sunt scientia et virtus, qua scientes et virtuti compotes sumus. 2° ut nos iusti reddamur et simus, etiam operum nostrorum haberi rationem: hoc est, opera bona, quæ cum gratiâ seu auxilio Dei facimus, cooperari ut è peccatoribus iusti reddamur. Contrà verò operibus malis, seu novis peccatis, iustitiam, quam ex meritis Christi receperamus, amittere possumus; et ex iustis fieri iniusti seu peccatores.

§ XII. Lutherus his notionibus communiter in Ecclesiâ receptis novam ideam iustitiæ imputatæ seu imputativæ substituere voluit: hoc est, nullam iustitiam esse ait nisi iustitiam ipsius Christi, quæ cùm nobis imputatur, nos iusti vocamur et sumus. Unde in nobis internam

iustitiam non esse, et opera nostra ut simus iusti nihil conferre, facilè colligebat. Iam verò si hæc intelligantur ut sonant, iustitia omnium iustorum erit æqualis, quia omnium erit eadem iustitia, nempè iustitia Christi. Neque erit corona iustitiæ singulis iustis reposita, et eis suo tempore data à iusto iudice; sed dabitur corona iis quibus iustitia Christi imputabitur, quæcumque tandem illorum opera sint. Etiam iustitia seu gratia erit inamissibilis, quia per peccatum hominis iustitia Christi non destruetur; sicque Christi cum Belial erit intima societas in eodem homine: et alii similes impiissimi errores consequentur. Si autem, ut eos declinent lutherani, fateantur iustitiam Christi nobis non applicari seu imputari, nisi in nobis sint fides et charitas, applicari autem seu imputari plùs minùsve, prout opera nostra fide et charitate magis vel minùs animata sunt, tunc intricatissimis, novis et involutis ambagibus idem tandem dicent, quod catholici perspicuis simplicibusque notionibus hactenùs semper dixerunt. Uno verbo, iustitiæ imputatæ inventum à Luthero dogma, quod Melancton aliique tot laudibus extollebant, aut magnarum impietatum seminarium est, aut simplicium et sat evidentium veritatum involucrum intricatissimum (*ib. n.* 50).

§ XIII. Novum Lutheri dogma, nempè *papismum esse antichristianismum*, seu romanos Pontifices esse antichristos, et eorum auctoritatem et potestatem super alias ecclesias esse regnum antichristi, examinandum suscipit Bossuetus. Observat autem adeò absurdum esse impium et ridiculum hoc *protestantium* systema, ut dum clarè exponitur, sufficienter impugnetur. Eisdem illis temporibus, in quibus huius antichristiani ficti regni initia collocant lutherani, Romanam sedem gubernarunt gravissimi sanctissimique Pontifices. Quis autem e. g. sancti Leonis Magni epistolas et sermones legens, in quibus fidem in Iesum-Christum lectoribus adeò potenter inspirat, non exhorrescit, cùm audit ea scripta, dictata et edita fuisse ab Antichristo? Inimicos enim Iesu-Christi Domini nostri quis Leone efficaciùs et fortiùs impugnavit? In Iesu-Christi gratiâ et doctrinâ defendendâ quis maiore zelo laboravit? His similia multa congerit Bossuetus: ex qui-


bus meritò concludit, opus esse ut calicem illusionis, quo inebriantur prophetæ docentes mendacium, usque ad fæces biberint qui tam absurda portenta mundo nuntiare non erubescunt. Verbo: quæ de romani Pontificis antichristianismo, et Pontificiæ dignitatis exterminio, aut calumniosè dicta, aut fanaticè vaticinata apud *protestantes* audiri solebant, adeò stulta sunt atque ridicula, ut solùm Luthero, cæterisque reformationis capitibus, impudentissimis hominibus qui ea invenere, dedecori sint. Ea nunc docti *protestantes*, ut nos ipsi, irrident; at infimæ plebis illusioni, et in catholicos odio fovendis, etiam aliquando inserviunt (*ib. n.* 51 *et* 52).

§ XIV. Denique quantum *protestantes* in suis circa Ecclesiam opinationibus variaverint, observat Bossuetus: eosque ait nunc visibilem ecclesiam credere, postea invisibilem fingere: nunc ecclesiam veram non nisi singulos in suis cœtibus, postea in omnibus sectis, Christum quamvis inter mille errores confitentibus, agnoscere: aliquando de catholicorum seu pontificiorum ecclesiâ, quasi de antichristo, aut satanæ ipsius synagogâ loqui, licèt interdum etiam inter pontificios veram Christi Ecclesiam exstitisse, et exstare fateantur. Circa infallibilitatem Ecclesiæ multa quoque de subtractione veritatis, et additione erroris, atque de distinctione dogmatum in fundamentalia et non fundamentalia inducunt et mutant. Ex quibus omnibus facilè concluditur nil ampliùs esse quod sensatos viros remorari valeat, ne à novis sectis ad ecclesiam Romanam seu catholicam revertantur: neque in dubium verti potest lutheranorum, reformatorum, cæterarumque recentium sectarum duces ac principilos sectas introduxisse, se se ab Ecclesiâ separasse, verosque fuisse schismaticos (*ib. n.* 56 *ad* 66).

§ XV. Quæ de sectis reformationis hactenùs indicata sunt, magnâ argumentorum copiâ et vi pertractat Bossuetus: post cuius tempora, quæ errorum series ex despectu auctoritatis Ecclesiæ à *protestantibus* inducto facilè consequitur, longè propagata est. Simul enim ac naturalis ratio veritatem fidei iudex constituitur, quasi successivis saltibus ad ultimum erroris barathrum præ-

ceps labitur. Primò quidem cum *protestantibus* Scripturam sacram prout libuerit exponens, veritates quasdam ipsi graves aut incommodas abiicit. Statim verò cum Socinianis nihil admittens ratio quod suum captum superet, Scripturam sacram methaphoricè exponendam facilè decernit, quoties littera aliquid rationi incomprehensibile exprimit. Atque hinc *deista* Libris sacris totam Divinæ revelationis auctoritatem negat, neque unquam Deum aliâ viâ quàm ratione naturali homines docuisse contendit. Etiam *atheus* aliorum exemplo arguit, Dei et spirituum existentiam ab ipso non iniuriâ negari. Sicut enim illi plura dogmata ut falsa reiiciunt, quoniam ea tamquam incomprehensibilia ratio habet; ita contendit atheus Dei infiniti, Creatoris, et puri Spiritûs ideas, utpote rationi incomprehensibiles, ablegandas esse. Tandem *pyrrhonii* seu *sceptici* ex ipsis inter alios contestationibus colligunt, rationem prudentem, utpote supremum veritatis iudicem, omnem in arduis religionis dubiis assensum cohibere, et in tranquillâ dubitatione seu ignorantiâ tutam quiescere. Ita necessariâ deductione demonstratur inter fidem viri catholici, et ridiculam rigidi sceptici dubitationem, nullum esse punctum, in quo recta ratio consistere possit (*ib. n.* 67 *ad* 73).

§ XVI. Protestantes, deistæ, athei et pyrrhonii contra catholicos facilè conspirant, eosque nimiæ in rebus religiosis intolerantiæ accusant. Iam verò si confusa tolerantiæ idea accuratè distinguatur, et quid nomine tolerantiæ theologicæ, philosophicæ atque civilis intelligendum sit, exactè ponatur; à religione catholicâ prudentem, iustam et charitati consentaneam tolerantiam doceri, facilè cognoscetur. De quibus pauca innuere sufficiet. *Tolerantia theologica* vocari solet, quorumdam cœtuum aut sectarum christianarum opinatio, qui aiunt in aliis cœtibus christianis, quos in maximis erroribus versari credunt, æternam salutem obtineri posse; sicut plures *protestantes* etiam catholicos salvari posse fatentur. Catholici verò illa Christi verba præ oculis habentes: *Prædicate evangelium omni creaturæ. . . Qui non cre-*



diderit condemnabitur, credunt extra veram Ecclesiam Christi, quæ catholica esse debet, non salutem æternam, sed condemnationem inveniri. *Tolerantia philosophica* ea incredulorum opinatio aut impietas vocari solet, qua religiones omnes æquales habent. Alii contendunt nullum esse cultum, quo homo Deo placere vel displicere possit. Alii contrà Deo naturæ auctori quemcumque cultum, sive falsum sive verum, sive serium sive ridiculum, perinde gratum esse. *Tolerantia civilis* illæ dicuntur aliquarum gentium leges, quibus variarum religionum exercitium publicum toleratur (*ib. n.* 74 *ad* 78).

§ XVII. Atque tolerantiam theologicam, et multò magis philosophicam, catholici profectò detestantur. Civilem verò in qualibet republicâ ipsius constitutioni, legibus et pactis cum aliis nationibus, prout bonus ordo, publica tranquillitas, et prosperitas reipublicæ exigit, attemperandam, atque pro variis temporum circumstantiis ampliandam aut coërcendam esse, catholici confitentur. Quinimò Principes catholicos in suis dominiis non solùm hæreticos, sed mahometanos etiam, iudæos ac idololatras prudenter ac iustè multoties tolerare, probant exemplo ipsius Dei, qui in universitate rerum mala multa permittit, etsi omnipotens et infinitè bonus sit. Quod verò attinet ad privatas personas, religio catholica iubet supremis potestatibus, quamvis iniustè ob religionem fideles vexantibus, nunquam vi resisti posse, sed cum eis patientiâ et tolerantiâ agendum. Falsas religiones nunquam calumniis, mendaciis aut fraudibus impugnare licere, sed impiorum aut aliàs errantium conversioni solùm suasione, instructione, bonis moribus, et oratione ad Deum operam dandam. Quòd si *tolerantiæ* nomine etiam significatur fraterna charitas in conversatione cum hominibus alterius religionis vel populi: certè nulla religio tolerantior esse poterit quàm catholica, quæ impios etiam, iudæos et hæreticos ut fratres amandos esse agnoscit, etiam nos inimicos diligere iubet, et aliorum iniurias, dicteria ac tormenta quoque patienter toleranda docet (*ib. n.* 74 *ad* 80).

CAPUT III.

De incredulis.

Incredulorum multiplex classis 1. *Ratio naturalis ad fidem nos ducit* 2. *Revelatio in multis hominem instruit, et eius mysteria rationi non pugnant* 3. *Fides his mysteriis docilis est, utilis et prudens* 4. *Increduli omnes mysteria docent, et athei absurdissima* 5. *Nil contrà revelationem validè obiicitur* 6. *Eam evidenter credibilem ostendunt argumenta ex naturali ratione sumpta* 7 : *alia plura ex ipsâ religione et historiâ Christi et Ecclesiæ* 8 ; *et alia ex doctrinâ morum aliisque capitibus* 9.

§ I. Nullus unquam fuit terribilior in Christi Ecclesiam exercitus, quàm qui ætate quintâ sub vexillis incredulitatis coaluit, in quo militabant *naturalistæ* seu *deistæ*, nempè illi qui Deum non nisi prout ratio naturalis docet colendum dicunt : *irreligiosi*, seu religionem aut Dei cultum omnem superfluum iudicantes : *athei*, qui Dei quoque existentiam negant : *materialistæ*, quibus nullus est spiritus, sed sola materia ; et *sceptici* seu *pyrrhonii*, qui de omnibus dubitant. Hos omnes Ecclesiæ inimicos singulatim internoscere, aut eorum scripta examinare, neque opus est, nec generatim expedit. Imò nec calumnias omnes quas in Ecclesiam evomunt, nec innumera sophismata quibus fidei dogmata impugnant, dissolvere intendo : iis enim quæ ad speciem validiora sunt consideratis, omnium levitas facilè colligetur (*Lib. XIV. n.* 81 *ad* 86).

§ II. Ac primò quidem ratio ipsa naturalis tum ne-

cessitatem fidei in humanis, tum nostri cordis summam capacitatem, tum etiam bonitatem Dei considerans, nos quasi manuducit, ut revelatæ religionis existentiam cognoscamus. Atque dum circa Dei existentiam, unitatem, aliasque perfectiones, atque circa ea quæ magis nota sunt præcepta morum, non solùm ingentes populos sed famosissimos etiam philosophos turpiter erravisse cernimus; dum gravissimas alias veritates, quas de Deo ac de moribus ratio naturalis attingere valet, à rudi populo non argumentorum aut demonstrationum vi comprehendi aut capi, sed solùm ab aliis propositas in eorum fide ut veras haberi posse consideramus: fateamur necesse est, ad ea etiam quæ de Deo naturali ratione percipiuntur commodiùs et certiùs intelligenda, revelationem seu religionem revelatam esse necessariam. Imò ratio ipsa naturalis, si ea facta seriò expendit quibus christiana religio fundata et conservata est, multa in illis supra vires humanas deprehendens, eius Divinam originem atque adeò veritatem facilè colligit *(ib. n.* 87 *ad* 90 *).*

§ III. Frustrà opponunt increduli christianæ fidei mysteria naturali rationi esse contraria. Nihil enim absolutè docet fides nostra quod alicui veritati naturali contradicat, ut in ipso Trinitatis mysterio facilè demonstratur. Profectò increduli negare non possunt naturam Dei infinitam esse, et eius ideam quæ naturali rationis lumine habetur limitatam et obscurissimam. Cùm autem ratio naturalis nec clarè cognoscat quid sit natura Dei, nec quid sit Persona Divina, stultè contendunt aliqui increduli se clarè et evidenter cognoscere quòd in naturâ Dei, cùm sit una, esse nequeunt tres Personæ. Itaque Trinitatis mysterium, sicut alia christianæ religionis, rationi naturali nullatenùs contraria probari possunt, sed solùm rationi naturali incomprehensibilia, seu eius capacitatem longè superantia. At tria præ oculis habenda sunt. Primò doctrinam fidei seu revelatam non solùm hæc mysteria incomprehensibilia continere, sed clarè vel evidenter proponere etiam veritates magni ponderis, quas humana ratio ipsa sola non nisi inter dubia et tenebras difficilè prospicit. Etenim revelatio

auget numerum veritatum, tum in theoriâ tum in praxi, circa Deum, circa hominem, et circa eius statum post mortem; et illustrat etiam, ac certiores et populares reddit huius generis veritates, quas aliqui tantùm ex magnis philosophis cognovere. Ut enim aiebat sanctus Thomas in expositione Symboli: « Nullus philosophorum « ante adventum Christi cum toto conatu suo scire po« tuit tantum de Deo, et de necessariis ad benè viven« dum, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem » *(ib. n. 91 et 92)*.

§ IV. Præterea si dogmata incomprehensibilia nobis credenda revelatione proponuntur; multa inde nobis ipsis bona proveniunt. Etenim humilis docilisque fides, qua dum Deus loquitur etiam incomprehensibilia ut certissima credimus, clientelæ obsequium est quod abs dubio Deo debemus, seu unus ex præcipuis actibus cultûs quo Deum adoramus. Adde quòd imperfectio intellectûs nostri satis ostendit prudentem esse fidem incomprehensibilium. Nam si homo posset per se perfectè intelligere omnia visibilia, tolerari posset quòd non crederet quæ haud clarè cognosceret. Cùm autem nullus philosophus perfectè investigare potuerit nec quidem naturam unius muscæ, nonne stultum esset nolle credere de Deo nisi quæ homo potest per se cognoscere? Certè si dum celebris philosophus in physicis aut mathematicis valdè exercitatus aliquam scientiæ quam diu coluit propositionem veram esse asseverat, reponeret aliquis rusticus eam veram esse non posse quoniam ipse eam non intelligit, rusticus ille aut stultissimè superbus aut fatuus iure crederetur. Et hinc noscitur iudicium quod formari debet de homunculis, qui ut mysteria quæ ipsis ut à Deo revelata proponuntur contemnant, superbè allegant ea esse ipsis incomprehensibilia. Ita discurrebat sanctus Thomas loco citato *(ib. n. 93)*.

§ V. Demum anne increduli res omnes earumque causas perspicuè comprehendere et explicare possunt? Imò verò *atheus* mysteria rationi evidenter repugnantia obtrudit; nempè effectus qui summam intelligentiam ostendunt, à cæco casu seu à causâ non intelligente pro-

cedere : immensam quæ in rerum naturæ productionibus ac motibus elucet vim seu *energiam*, ab inerte materiâ totam oriri : materiam ipsam æternam esse, non à Deo creatam sed à se ipsâ existentem : hoc est, effectus innumeros ac mirabiles aut sine ullâ omninò causâ, aut sine causâ vel ratione sufficienti ; quod nihil est veræ philosophiæ seu rationi naturali magis contrarium. Hæc autem absurda et rationi pugnantia mysteria *deista* non admittit. Cùm enim infinitam Dei potentiam agnoscat, in eâ omnium qui in rerum naturâ sunt effectuum rationem sufficientissimam habet. Ipse tamen plura incomprehensibilia mysteria admittere debet : nam dum scientiam futurorum, quam habet Deus, nostrâ cum libertate comparat ; dum æternitatem, providentiam, aliaque Divina attributa, sed et cùm ipsius materiæ divisibilitatem, lucis propagationem, aliaque Dei opera considerat, plura existere ac fieri certissimè cognoscit, quæ quomodò existant aut fiant ratio percipere non valet. Proinde mysteria fidei, ex eo quòd incomprehensibilia sint, impugnari non posse, tam *atheus* quàm *deista* fateantur necesse est (*ib. n.* 94 *et* 95).

§ VI. Præterea revelata religio, omnium temporum omniumque populorum religio est. Quòd si non ad omnes populos omni tempore reapse diffunditur, ut infinitæ Dei bonitati et misericordiæ consentaneum primo aspectu videtur, in ipsâ humani cordis corruptione nimis sufficiens causa apparet : quemadmodùm ipsam legem et religionem naturalem in numero hominum, imò etiam populorum, nimis magno, aut deletam aut crassis tenebris obductam conspicimus. Quamquam verò naturalis religio in suo genere perfecta supponatur, non ideò tamen revelata censenda est superflua ; sicut nec creatura rationalis, licèt irrationalis in se ipsa perfecta sit. Demum incredulorum calumniæ, dicteria, frequentiaque sophismata, quibus mysteria rationis captum excedentia potiùs quàm impugnare irridere solent, contemnenda sunt, neque ullius responsionis digna. Religio autem et Dei cultus non *internus* modò sed etiam *externus*, non solùm privatarum personarum sed etiam populorum et gen-

tium, saltem ratione submissionis, et in signum grati animi, diligenter sanctèque servandum officium est (*ib. n.* 96 *ad* 100).

§ VII. Quemadmodum nulla causa adducitur, quæ revelatæ religionis existentiam dubiam faciat : ita multæ sunt, quæ eam evidenter credibilem ostendunt. Aliquæ quidem ad captum rudis etiam populi accommodatæ, ut quæ de religionis christianæ extensione sumitur : apud catholicos verò vel mediocriter instructos plures magni ponderis allegari possunt. Præcipuas saltem per summa capita indicemus. 1° Dei existentiam aut negare aut in dubium vertere, manifestum delirium esse sola mundi inspectio demonstrat. Nec minus delirium foret Deum agnoscere, et illi venerationis aut cultûs tributum denegare. 2° Simul ac naturali luce noscit humana mens necessariam esse religionem seu Dei cultum ; etiam ad cultum Deo dignum cognoscendum necessariam esse revelationem, seu lucem quæ naturali vividior sit, multis suadetur : ac præcipuè dum varias religiones quas populi antiqui et recentes, tum barbari, tum etiam civili societate magis vel minùs perfectâ uniti, naturali ratione invenere, illa considerat : in eis enim multa evidenter falsa, superstitiosa, nefanda etiam ubique cernit (*ib. n.* 101 *ad* 108).

§ VIII. 3° Quòd si humana omnia circa religionem inventa cum religione conferantur, quam Divinitùs primo homini datam et quasi domesticâ traditione per plura sæcula priùs conservatam, deinde in quodam populo cum societate civili coadunatam, et tandem pluribus veritatibus et gratiis magis illustratam, Salvator mundi omnibus populis prædicari iussit ; ipsa humana ratio facilè concludit tam magnificam religionis formam, quæ omnia tempora comprehendit, et ad totum orbem extenditur, et cuius christianitas tempus illustrius est, non hominis sed Dei ipsius opus abs dubio esse. 4° Religio iudaica dum Divina ostenditur, Divinitatem christianæ religionis apertè prodit. 5° Apertiùs tamen ipsius Domini nostri Iesu-Christi sublimes virtutes : 6° item ipsius beneficentissima portenta, atque stupendæ pro-

phetiæ. 7° Ipsa quoque Ecclesiæ fundatio et extensio Divinam eius originem probant. 8° Probat constantia, multitudo, et invicta patientia martyrum. 9° His adde mirandam doctrinæ christianæ altitudinem et soliditatem, mysteriorumque singularem dignitatem, qua dum levitatem ingenii, imaginationisque impetus cohibent, animum ad sublimia elevant, cordique generosos affectus inspirant (*ib.* 109 *ad* 118).

§ IX. 10° Etiam quæ de moribus docet christiana religio tantam sanctitatem et puritatem præ se ferunt, ut illius ex Deo originem sat indicent. Videatur exiguum huius doctrinæ specimen, quod nobis sanctus Augustinus exhibet in libro *De moribus Ecclesiæ catholicæ.* 11° Sicut populi barbari postquam religionem Christi amplectuntur, morum feritatem et corruptionem exuere, aut multùm temperare non tardant; ita in Africâ, Asiâ et Europâ observamus populos, qui à christianâ religione deficientes ad infidelitatem redierunt, etiam è suavitate et culturâ morum ad immanitatem et corruptionem transiisse. Ut facilè inferas christianæ religionis in moribus corrigendis summam esse efficaciam, quæ in falsis religionibus frustrà quæreretur. 12° In externo christianæ religionis cultu eiusque hierarchiâ multa quoque sunt supernam eius originem indicantia: 13° sicut etiam in mirabili zelo, quo evangelici præcones ad ferociores populos Christi nomen prædicaturi inermes accedunt. 14° Denique constans bellum, quod à mundo mundique amatoribus in Christi Ecclesiam, eosque qui vitam suam ad Evangelii normam accuratiùs componunt, continuè geritur, novum indicium est ad Ecclesiæ christianæ Divinam originem cognoscendam. Immanissimus verò furor, quo labente sæculo decimo octavo in Ecclesiam increduli sævierunt, plurimos pios affectus in Christi discipulis excitabat, ipsisque efficacissimè persuadebat, fidei veritatibus eò dociliorem fore mentem, quò naturali luce seu ratione rectiùs utantur (*ib. n.* 119 *ad* 130).

CAPUT IV.

De scriptoribus ecclesiasticis religiosorum Ordinum, et aliis.

Antiqui Ordines religiosi reformantur : et novi instituuntur 1. Sapientissimi scriptores congregationis S. Mauri 2, et aliarum Ordinis S. Benedicti 3. Cistercienses : reformatio Trapensis : alii monachi 4 Dominicani sanctitate et sapientiâ illustres 5 : etiam ex ordine Minorum : Augustiniani 6 : Carmelitæ, et Reformatio sanctæ Teresiæ : alii Mendicantes 7. Clerici Regulares : Theatini : Barnabitæ 8. Societas Iesu multùm floruit scientiâ et virtute 9 : eius suppressio 10. Somasci : Oratorium S. Philippi, et Salvatoris Iesu 11 : Clerici regulares minores : Hospitalarii 12. Clerici ministrantes infirmis : Scholarum piarum : et presbyteri Missionis 13. Sacræ virgines passim reformatæ 14. Ordines equëstres 15. Scriptorum ecclesiasticorum magna fuit copia 16. De sapientibus Portûs-Regii scriptoribus : alii celebres 17.

§ I. Ecclesiam ætate quintâ ab inimicis externis dirè agitatam hactenùs consideravimus : eam nunc à diversis familiis ac Ordinibus religiosis, imò etiam à pluribus aliis doctissimis viris opportunis scriptis mirè illustratam ac solidè propugnatam videamus. Antiquos religiosos Ordines duplici ratione viri sanctissimi iam ante sæculum decimum sextum reformare incœperunt. Alii enim absque ullâ circa Ordinis regimen mutatione, abusus corrigere, et antiquos mores instaurare conabantur. Alii verò mutato plùs minùsve antiquo Ordinis regimine, novas Congregationes aut Ordines formabant

novis quibusdam institutis, quibus meliorum Ordinis temporum sanctitas reviviscerct. Etiam sub nomine *Clericorum regularium* plures aliæ creabantur religiosorum familiæ, aut reformando clero sæculari, aut fidelium instructioni, spirituali solatio et directioni destinatæ, quæ multùm reformationi morum conferebant *(Lib. XV. n. 1 et 2)*.

§ II. Inter plures *Benedictinorum* reformatas congregationes, ea quæ sancti Mauri vocatur ingentem sapientissimorum virorum multitudinem peperit, ut Menardum, Mabillonium, Montfauconium, Dacherium, Martene, Massuetum, Blanpinum, Coustantium, Ruinardum et alios plurimos, qui de antiquitate ecclesiasticâ optimè meruerunt, non solùm sanctorum Patrum et aliorum veterum auctorum operibus accuratissimè editis et illustratis, sed etiam novis libris de rebus politicis, polemicis, historicis, criticis, et asceticis *(ib. n. 3 ad 5)*.

§ III. Ex aliis *Benedictinorum* congregationibus nominare sufficiat Cortesium, Billium, Blosium, Du-Vert, Petit Didier, Calmet, Quirinum, et Ceillier. In nostrâ Hispaniâ duplex elucebat iam *Benedictinorum* congregatio, nempè *Claustralis* Tarraconensis, et *Reformata* totius regni quæ Vallisoleti initium sumpsit, et in qua plures sanctitate et scientiâ viri eminuere, inter quos scriptis suis celebriores sunt Prudentius à Sandoval, episcopus Pampilonensis, et cardinalis Saenz de Aguirre (*ib. n.* 6 *ad* 9).

§ IV. Inter Cistercienses monachos qui scriptis suis Ecclesiam illustrarunt, numerandi sunt Cyprianus de la Huerga, Ioannes Caramuel, Ferdinandus Ughellus, cardinalis Bona, et Paulus Perron. Ex monachorum reformationibus nulla celebrior hactenùs visa est quàm Cisterciensium monasterii *Trapensis,* auctore Armando Ioanne Boutiller de Rancé; qui rigidam regulæ sancti Benedicti observantiam secundùm antiquos Cisterciensium usus instauravit, imò veterem cisterciensem disciplinam austeritate superasse multis videtur. Huius reformationis novæ familiæ Friburgi apud Helvetios, in Hispaniâ et

alibi ex Trapensi monasterio in stupendâ rerum in Franciâ publicarum perturbatione destructo, ad finem sæculi decimi octavi nascebantur. In Hispaniâ *Præmonstratenses,* aliique religiosi ordines ab initio sæculi decimi sexti reformabantur. Carthusiani à primâ disciplinæ suæ severitate nil aut parùm declinantes, monasticis virtutibus in eremo delitescentes, et domuum suarum redditus in pauperum usibus largiter expendentes, etiam opportunissimis scriptis Ecclesiam illustrarunt, ut Capella, Surius, Argone, et Molina (*ib. n.* 10 *ad* 19).

§ V. In familiis religiosorum mendicantium, non minùs quàm monachalium, erga litterarum studium et religiosam disciplinam valdè utilis reformatio facta est. Plures *Dominicanorum* seu Prædicatorum domus antiquos Ordinis mores accuratè instaurabant, et viris sanctitate et doctrinâ illustribus abundabant: ex quibus memorare sufficiat sanctum Ludovicum Bertrandum, et venerabilem Ludovicum Granatensem, scriptis suis, solidâ pietate, opportunâ eruditione et eloquentiâ conspicuis, in toto orbe christiano celeberrimum. Ex *Dominicanis* scriptoribus hujus ultimæ ætatis saltem aliqui nominandi sunt, ut Sixtus Senensis, Coeffeteau, Bzovius, Alphonsus Ciaconius, Malvenda, Vanslebius, Combefisius, Goar, Lequien, Gravina, Massoulié, Lanuza, Contensonius, Natalis-Alexander, Serry, Gravesson, Orsi, Echard, Mamachi, cæt. (*ib.* 20 *ad* 53).

§ VI. Ex ordine *Minorum* sancti Francisci, scriptis suis hac ætate notissimi fuerunt Wadingus, Stella, Brancatus de Laurea, Fevardentius, Macedo, De la Haye, et Franciscus Pagi, cæt. Inter sanctos viros numerari meruerunt hispani Nicolaus Factor, et Sebastianus Aparicio ex familiâ *Observantium;* Paschasius Baylon ex discalceatis, et Franciscus Solano ex strictiori recollectione. Celebrior autem ordinis Minorum reformatio, quæ *Capuccinorum* vocatur, magno sanctorum virorum et non parvo sapientum scriptorum numero eminet. In *Augustinianâ* mendicanti familiâ Panvinius, Nuñez Coronel, Roca, Ven. Ludovicus Legionensis, Ven. Orozco, cardinalis Norisius, Lupus, Berti, Florezius, cæt. scriptis suis Ecclesiam illustrarunt: atque inter canonicos

sancti Augustini, ut alios omittam, Martinus de Azpilcueta Navarrus *(ib. n.* 34 *ad* 50 *).*

§ VII. Ex ordine *Carmelitano* numerare sufficiat Henricum à sancto Ignatio, et clarissimam virginem sanctam Teresiam, quæ Carmelitarum discalceatorum reformationem perfecit; et non modò plures domos sacrarum virginum ipsa fundavit, sed etiam in causâ fuit, cur sanctus Ioannes de Cruce primum fratrum huius Ordinis asceterium sanctissimè institueret, ad cuius exemplum alia plura statim erigebantur. Ex aliis mendicantium familiis, ut solos hispanos memorem, Simon de Roxas, Gaspar Bono, Mariana de Iesu, et Michaël à Sanctis, insignia christianarum virtutum exempla dedere. Et hæc de antiquorum Ordinum reformatione *(ib. n.* 51 *ad* 61 *).*

§ VIII. Nunc de præcipuis Ordinibus religiosis ætate quintâ, vel paulò ante sub nomine *Clericorum regularium* fundatis, qui sæcularibus presbyteris vitæ statui suo respondentis aptissima exempla proponebant, atque ad mores christianæ fidei magis conformes in omnibus catholicorum classibus instaurandos novas vias aperiebant, nonnulla dicamus. Horum Ordinum primus sub nomine *Theatinorum*, seu sancti Caietani, institutus fuit; in quo divitiarum temporalium contemptus, et in Dei providentiâ collocata spes maximè elucent. Ex hac familiâ erant beatus Maria Thomassius, et sanctus Andreas Avellinus. Clerici regulares sancti Pauli, qui *Barnabitæ* nominari solent, in educandis iuvenibus, in audiendis fidelium confessionibus, in verbo Dei populis prædicando, et in quibuscumque Ecclesiæ ministeriis, quæ ipsis episcopi committunt, ex instituto alacriter elaborant. Ex hac familiâ prodierunt Tornielus, Gavantus, et B. Alexander Saulius *(ib. n.* 62 *ad* 66 *).*

§ IX. Piissima et florentissima *Societas Iesu* à sancto Ignatio de Loyola fundata fuit: eiusque præcipuus finis erat religionis defensio et propagatio, animarumque in christianâ vitâ et doctrinâ profectus. Ad hunc ordinem pertinent sancti Franciscus Xaverius Indiarum apostolus, Franciscus de Borja, Stanislaus à Koska, Ludovicus Gon-

zaga, et Ioannes Franciscus de Regis. Innumeri fuerunt in hac familiâ scriptores celeberrimi, qui de expositione Librorum sacrorum, de Theologiâ, de antiquitate ecclesiasticâ, de historiâ, deque ferè omni sacræ et profanæ eruditionis genere præclarè dixerunt. In concionibus ad populum, in confessionibus audiendis, in infirmis visitandis et solandis, atque in omnibus ecclesiastici ministerii officiis, præcipuè verò in iuventute ad bonos mores et ecclesiasticas scientias instituendâ, et in Evangelio barbaris gentibus nuntiando, mirum quanto zelo huius Societatis clerici indefessi laboraverint. Ferè in omnium catholicorum aulis erant Iesuitæ potentissimi ad dimidium usque sæculi decimi octavi. Tunc verò præcipiti ac vix credibili lapsu à regno Lusitaniæ primò exulare coguntur, deinde Franciæ, tum Hispaniæ et Neapolis *(ib. n. 67 ad 85)*.

§ X. Interea de hac Societate nimio ardore et partium studio ubique agebatur : et dum aliqui sine Iesuitis catholicam fidem nullo modo consistere posse clamabant, alii contrà grassantis incredulitatis, corruptorum morum, et omnium Ecclesiæ aut reipublicæ malorum causam Iesuitas esse contendebant. Utrumque æquè iniustum, falsissimumque fuisse opinandi modum, facilè colligitur ex bullâ quæ incipit *Dominus ac Redemptor noster*, anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio à Clemente XIV editâ, in qua religiosus ordo Societatis Iesu extinctus fuit. In eâ Summus Pontifex frequentium dissidiorum occasionem fuisse hanc Societatem observat : præcipuas extinctionis causas indicat : sociorum, quos in Domino diligit, bono providet ; et inter alia pacem et tranquillitatem efficacissimè commendat *(ib. n. 86 ad 94)*.

§ XI. Sanctus Hieronymus Æmilianus eam congregationem instituit, quæ *Somascorum*, ex populo ubi prima domus fuit, vocari solet ; cuius præcipuus scopus est pueros orphanos ob paupertatem vagos colligere, enutrire, et in sanctis moribus et fide Christi educare. Aliam erexit sanctus Philippus Nerius, in qua ecclesiastici viri nullo monastico voto, nec alio vinculo quàm mutuâ charitate constricti, in unâ domo cohabitant, pro-

ximorum saluti æternæ quocumque medio aut ratione potuerint operam daturi. Ad hanc familiam Annalium parens cardinalis Baronius, et cardinalis Moncada Belluga pertinebant. Similem congregationem in Franciâ erigebat Petrus Berullus, postea cardinalis, sub nomine Patrum *Oratorii Salvatoris Iesu*, in qua plures insignes sapientiâ viri floruere, ut Le Cointe, Malebranchius, Morinus, Thomassinus, et Lamius (*ib. n.* 95 *ad* 103).

§ XII. *Clerici regulares minores* vocantur, qui in congregatione seu ordine vivunt à sanctis viris Francisco et Augustino Caracciolo, atque Ioanne Augustino Adorno fundato; qui ad cleri præcipuè reformationem familias cogi procurabant, in quibus clerici in amplexu crucis Christi assiduè viventes, se totos aliorum sanctificationi suis exemplis et hortationibus fovendæ consecrarent. Ex charitate heroicâ, qua sanctus Ioannes de Deo infirmos curabat, novus ordo *Hospitalariorum* seu fratrum charitatis, qui huius Sancti nomen assumpsit, ortus est; cui similis alter in Americâ fundatus *Hospitalariorum sancti Hippolyti* vocari solet. Alia in eâ mundi parte exstat congregatio sub nomine *Bethlehemitarum*, quæ non solùm infirmorum curæ ac directioni dedita est, sed instructioni etiam puerorum aut iuvenum in catechismo seu Christi doctrinâ, et etiam in primis litterarum rudimentis (*ib. n.* 104 *ad* 107).

§ XIII. Sanctus Camillus de Lelis congregationem *Clericorum regularium infirmis ministrantium* fundavit. Sanctus Iosephus Calasanctius ordinem *Clericorum regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum*, quibus ex proprio instituto curæ est pueros erudire. Cæsar de Bus *Congregationem de doctrinâ christianâ*, quæ multùm in Franciâ floruit. Et sanctus Vincentius à Paulo *Congregationem presbyterorum sæcularium Missionis.* His autem tria præcipuè sanctus Vincentius iniungebat. Primùm ut semetipsos precibus, meditationibus, lectionibus, aliisque piis exercitiis in dies emendent magis, ac purgent: deinde ut sacras legationes ad homines ruri degentes obeant, eosque christianæ pietatis studio imbuant: denique ut seminaria, in quibus iuvenes sacer-

dotio dicati educantur, gubernent, candidatos muneris sacri erudiant, et tam clericos quàm laicos domibus suis ad aliquot dies admittant in spiritualibus rebus exercendos *(ib. n.* 108 *ad* 112 *)*.

§ XIV. In pluribus monasteriis sacrarum virginum seu monialium utilissima reformatio post concilium Tridentinum cernitur. Novæ item earum congregationes, seu novi ordines fundati sunt; ut qui *sanctæ Ursulæ*, seu *Ursulinarum* vocatur, cuius moniales non modò sanctificationi propriæ sed etiam puellarum instructioni et rectæ educationi incumbunt. Huic alia similis congregatio Burdigalæ incipiebat sub nomine *Congregationis Virginis Matris Dei.* Quæ *sorores charitatis* appellantur, et in Franciâ plurimæ sunt, infirmorum curæ et solatio ex instituto consecrantur, et alicubi etiam puellas in laboribus ætati ac sexui respondentibus, ac præcipuè in doctrinâ christianâ et moribus instruunt. Demum sancta Ioanna Francisca de Chantal novum monialium ordinem instituit, quas monachas *Visitationis* appellari voluit, eas præcipuè virgines aut viduas in hanc familiam ut propriæ sanctificationi incumbant admitti præcipiens, quæ cùm mundo renuntiare vellent, in antiquis tamen monasteriis ob nimiam ætatem, valetudinem, similemve causam locum non haberent *(ib. n.* 113 *ad* 115 *)*.

§ XV. Ex Ordinibus equëstribus seu militaribus antiquis plures etiam in hac ætate durabant; et celebris ille *Hospitalariorum* sancti Ioannis magnas mutationes his præcipuè ultimis temporibus patiebatur. Et quamquam antiq i Ordines equëstres aut infirmorum vel peregrinorum ucontra infideles defensionem, aut christianorum contr a mauros vel idololatras protectionem, aut regionum ab aliis occupatarum recuperationem, aut alium bellicum seu militarem scopum pietati conformem, animo proponebant: qui tamen posterioribus sæculis à diversis Regibus instituti sunt, non alium finem seu scopum præ se ferunt, quàm novum honoris gradum, quo nobilium virorum gesta seu merita præmiari, aut decorari possint. Frequentissimum tamen hactenùs fuerat, quæ-

dam religionis exercitia equitibus horum Ordinum à Principibus christianis instituentibus præscribi : ut videre est in duobus, qui sæculo decimo octavo in Hispaniâ erigebantur : alter pro viris sub protectione sanctissimæ Virginis sine labe conceptæ, et nomine Caroli tertii ; alter pro nobilibus feminis, nomine Mariæ Aloysiæ Hispaniarum Reginæ, sub patrocinio sancti Ferdinandi (*ib. n.* 116 *ad* 118).

§ XVI. Præter scriptores ecclesiasticos, de quibus cùm de concilio Tridentino et Ordinibus religiosis loqueremur actum est, plurimi sunt qui Ecclesiam hac ultimâ ætate scriptis suis illustrarunt, quorum nonnulli saltem laudandi sunt. Sæculo decimo sexto vitam finierunt Balduinus, Masius, Serranus, Spenceus, Zurita, Palacios, Molanus, Leo de Castro, Pamelius, Duranti, Alanus ; et ut alios præteream, Thomas Stapleton. Ab initio sæculi decimi septimi assiduo plurium ingenii præclari virorum labore studia omnia ecclesiastica colebantur, et egregiè florescebant ; præcipuè verò sacræ Scripturæ, Conciliorum, sanctorum Patrum, Historiæ ecclesiasticæ, et Theologiæ. Hinc magna ubique erat sapientum scriptorum copia. Præter viros religiosos antea indicatos, et episcopos postea memorandos, inter Hispaniæ sapientes huius ætatis noti sunt Nicolaus Antonius, Iosephus Stephanus, Peña, Barbosa, Salgado, Ferreras, Perez Bayer, cæt. In Franciâ insigniter sæculo decimo septimo florescebant plures episcopi ut Perron, Albaspineus, Spondanus, Godeau, Marca, et Bossuetus. Etiam fratres Sancta Martha et Valois. Quidam verò critici nimiâ severitate iure notabantur (*ib. n.* 119 *ad* 137).

§ XVII. De sapientibus viris Portûs-Regii multum fama loquebatur. Antonius Arnàldus ingentem librorum numerum publicabat, et plures item alii à suâ familiâ scribebantur. Nicolius, Blasius Paschalius, Antonius Le Maitre, eiusque frater Sacy, Tourneux, Floriot, Hermant, atque eruditissimus sensatissimusque criticus Tillemont, famosiora sunt *Porturegiensium* nomina. In istorum sapientum virorum opera plures defectus ex factionis genio seu spiritu irrepsere, à quibus purgata

maximo in pretio haberentur. Hi omnes inter *Iansenistas* facilè adnumerabantur. *Iansenistæ* autem nomen, de quo iterum dicendum erit, quodque pluribus veluti erroris aut pertinacis inobedientiæ infamis nota iure imponebatur, aliis multoties summâ iniustitiâ attributum fuit. Tandem Fenelonius, Tiers, Duhamel, Baluzius, Renaudotus, Daniel Huet, Fleury, et Massillon multùm scriptis suis Ecclesiam in hac ætate illustrarunt: ad quam quoque pertinent Estius, Walemburgi fratres, Arcudius, Allatius, Holstenius, Muratorius, et Maffei. Et hæc de scriptoribus ecclesiasticis indicasse sufficiat (*ib. n.* 138 *ad* 157).

CAPUT V.

Synopsis historica à concilio Tridentino ad finem sæculi decimi septimi.

Pii quarti professio fidei. S. Pius quintus 1. *Bulla* In cœnâ Domini: *alia contra Baium* 2. *Correctio calendarii. Sixtus quintus* 3. *Congregationes de auxiliis* 4: *de propagandâ fide. Clemens nonus* 5. *Iansenii* Mars Gallicus, *et* Augustinus 6. *Quinque famosæ propositiones* 7. *Dissidia propter* formularium 8: *Innocentiumque undecimum inter et Regem Franciæ de* Regaliis *et de iure asyli* 9. *Innocentius duodecimus de* nepotismo 10. *De certamine inter Bossuetum et Fenelonium* 11. *S. Carolus Borromæus* 12. *Hispaniæ Reges* 13. *Episcopi: Bartholomæus à Martyribus* 14. *B. Ioannes de Ribera* 15. *Ioannes de Palafox et alii* 16. *Concilia* 17. *Francia: bella calvinistarum: cædes die sancti Bartholomæi* 18. *Fœdus catholicorum* 19. *Henricus quartus* 20: *Ludovicus quartus decimus abrogat edictum Nannetense* 21: *Comitia cleri anni octogesimi secun-*

di 22. *Inexcusabilis inobedientia* Portu-Regiensium 23. *S. Franciscus Salesius* 24. *Angliæ schisma sub Elisabethâ : Maria Stuarta* : *catholici afflicti* 25. *Episcopales : presbyteriani :* independentes 26 : *Cromuel protector : Iacobus secundus emigrat : catholici è throno exclusi* 27. *Reformatio in Daniâ et Sueciâ : Stenonius* 28. *Bella religiosa in Germaniâ : pax Westphalica* 29. *Græci schismatici errores reformatorum damnant* 30.

§ I. Ecclesia in hac ætate quintâ sicut in præcedentibus continuatâ episcoporum serie regitur et conservatur : in qua præcipuè romanorum Pontificum successio, quæ à sancto Petro incipit, considerari debet ; utpote quorum ministerium ordinarium præcipuum et fundamentale in totâ Ecclesiâ est, ut Claris[s]. Bossuetus doctè ac opportunè observabat. Pius quartus, cuius sollicitudine Tridentina synodus tertiò convocata est, et faustè finita, ut suprà innuimus, formulam professionis fidei ab omnibus catholicis cum plausu receptam publicabat. Ineunte anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, sanctus Pius quintus romanus Pontifex electus fuit ; atque dum continuum bellum contra vitia et abusus ipse agebat, ut validissima classis à christianis contra turcas pararetur, suasione, consiliis et opportunis auxiliis efficiebat. Etiam pro catholicis ab hæreticis in Galliâ, Germaniâ et Angliâ oppressis aut agitatis, ardenti zelo laboravit (*Lib. XVI. n.* 1 *ad* 4).

§ II. Ex antiquo aliquarum ecclesiarum more semel aut pluries in anno legendi severiores sententias aut censuras contra pestilentes errores vel immanium criminum reos fulminatas, ea lex Pontificia seu bulla originem sumebat, quæ *In cœnâ Domini* vocari solet, terribilia anathemata contra diversos errores et crimina summatim continens. Hanc bullam solemniùs quotannis promulgari, eique nonnulla addi sanctus Pontifex Pius quintus iubebat, eo tempore opportunum ratus contra hæreses, et pro libertate Ecclesiæ ac auctoritate Pontificis acriùs fortiùsque pugnare. Cùm verò inde non contem-

nenda dissidia inter romanos Pontifices et quosdam Principes orirentur, tandem publicari desinit etiam Romæ. Celebris quoque fuit eiusdem Pontificis bulla *Ex omnibus*, in qua plures propositiones ex scriptis Michaëlis Baii deprompta damnabantur, quarum tamen nonnullas aliquâ ratione defendi posse monebat Pontifex (*ib. n.* 5 *ad* 8).

§ III. Sancto Pio quinto Gregorius tertius decimus anno septuagesimo secundo succedebat, qui ad iuvenum educationem aliqua collegia erexit, ad regiones gentium plures evangelicos præcones misit, et calendarii correctionem, quæ ex ipsius nomine *Gregoriana* appellatur, feliciter promovit. Post Gregorium Sixtus quintus electus est, vir animi fortitudine, magnificentiâ, aliisque virtutibus insignis. Et cùm brevi tempore Urbanus septimus, Gregorius quartus decimus, et Innocentius nonus vixissent, ineunte anno sæculi nonagesimo secundo Clemens octavus eligebatur, qui magno Franciæ bono cum rege Henrico quarto amicè coniunctus est (*ib. n.* 9 *ad* 14).

§ IV. Ludovicus Molina, *Iesuita* hispanus, famosum librum de *Concordiâ liberi arbitrii cum gratiæ donis, divinâ præscientiâ et prædestinatione* anno octogesimo octavo ediderat: in quo multa à viris doctis, præcipuè à religiosis Dominicanis improbabantur. Cùm verò nimio calore hæc quæstio in Hispaniâ agitaretur, utramque contendentium partem Clemens octavus quiescere iubebat, litem hanc Romæ se dirempturum promittens. Hinc simul cum anno nonagesimo octavo incipiebant celebres *Congregationes de auxiliis*: causâ tandem nondum finitâ, anno sequentis sæculi quinto Clemens moriebatur. Leone undecimo eius successore paucos post electionem dies etiam mortuo, eligebatur Paulus quintus, qui eas Congregationes instaurari iubebat; et tandem declarationem suam opportuno tempore se promulgaturum pollicebatur, religiosis Prædicatoribus et Iesuitis interim seriò iniungens, ne partem alteram notâ aliquâ vel censurâ quis inurere auderet. Difficiles et odiosæ lites inter Paulum quintum et Rempublicam Venetam enascebantur: quæ tandem medio Henrico quarto Franciæ Rege trans-

actæ sunt. Interea Paulus fidei propagationem in Indiâ, Persiâ, Sinâ, Æthiopiâ, Iaponiâ, aliisque Orientis regionibus studiosissimè promovebat (*ib. n.* 15 *ad* 21).

§ V. Gregorius quintus decimus sæculi decimi septimi anno vigesimo primo Pontifex electus, Congregationem *de propagandâ fide* Romæ constituit, et uberrimis redditibus instruxit. Anno vigesimo tertio eligebatur Urbanus octavus, vir singulari pietate, doctorum virorum protector, ipse litteris perornatus, et prudenti zelo domûs Dei ardens. Innocentius decimus, promotus anno quadragesimo quarto, ad catholicos Hiberniæ, nec non ad christianos cum turcis bellantes opportuna misit auxilia. Alexander septimus eligebatur anno quinquagesimo quinto, et Christinam Reginam Sueciæ, abiuratâ lutheranâ hæresi, et illo regno abdicato Romam adeuntem, humanissimè ac decorè recipiebat. Et Clemens nonus ab anno sexagesimo septimo ad sexagesimum nonum Ecclesiam gubernans, brevi Pontificatu multa pietatis et humilitatis christianæ, atque misericordiæ erga pauperes præclara dabat exempla, viros litteratos et eruditos protegebat, pacem inter christianos Principes magno zelo procurabat, et turbidos in Franciâ excitatos motus in causâ quinque propositionum Iansenii aliquamdiu quiescere iubebat (*ib. n.* 22 *ad* 24).

§ VI. Iansenius in Hollandiâ natus, et in Lovaniensi Academiâ sacræ Scripturæ explicationi præfectus, dum adhuc eæ provinciæ Regi Hispaniæ parebant, diversa ediderat sacrorum Librorum commentaria; et post rebellionem concitatam librum scribebat sub titulo *Mars Gallicus*, quo in Regem Franciæ acriter invehebatur, quoniam Belgii hæreticis in Regem Hispaniæ rebellantibus auxilia subministraret. Hinc Iansenius in vehemens odium Francis venit: cum verò Philippus quartus Hispaniæ Rex Iprensem episcopum anno trigesimo quinto sæculi decimi septimi designavit, Ipræque post triennium moriebatur, ineditum relinquens famosum illud opus quod *Augustinus* inscripsit, quia in eo mentem sancti Augustini circa gratiæ necessitatem ac naturam aperiri propositum

illi erat; se velle monens ut totum opus iudicio Romanæ Sedis subiiceretur (*ib. n.* 25 *et* 26).

§ VII. In lucem edebantur hi libri anno quadragesimo; et statim viri docti observabant nimis acrem fuisse Iansenium in novis Molinæ opinationibus erroris notâ inurendis; et quandoque etiam ab his novitatibus tanto impetu fugisse, ut trans veritatis medium ad oppositos errores nimis accessisse videretur. Ex Iansenii libro aliquæ extrahebantur propositiones, quas plures Franciæ episcopi romano Pontifici damnandas proponebant. Eas Romæ accuratè et productè examinari iubebat Innocentius decimus, et anno quinquagesimo tertio illarum quinque iam tum famosissimas condemnabat. Hinc nova nascebantur dissidia. Quamquam enim propositiones iustè damnatas passim faterentur catholici, eos tamen errores in libro Iansenii non inveniri plures contendebant (*ib. n.* 27 *ad* 29).

§ VIII. Tunc Galliæ episcopi hunc purgandi ab omni censurâ opus Iansenii conatum, ab occulto aliquo erga damnatos errores affectu nasci verebantur; et inde non episcopi modò, sed Rex etiam et romanus Pontifex clericos omnes pluresque laicos subscribere iubebant formulis quibusdam seu *formulariis*, in quibus eas propositiones in libro inscripto *Augustinus* contineri asserebatur. Qui partes Iansenii tenebant, circa formularii subscriptionem in varios opinandi modos abiere; plerisque consentientibus formulam, quod ad *doctrinam* seu propositionum censuram attinebat, admitti sine dubio posse: quod verò *factum* spectabat, scilicet propositiones illas re ipsâ in libro Iansenii exstare, admitti non debere. Etiam qui pro *formulario* pugnabant, obligationis ei subscribendi quoad factum diversam causam assignabant: alii enim factum quoque Divinâ fide credendum volebant; alii non nisi fide humanâ seu ecclesiasticâ, qua tamen omnes fideles post romani Pontificis decretum tenerentur. Motus inde nati sunt, quos Clemens nonus sedabat; at statim post eius mortem recrudescebant, et Innocentius duodecimus prudentissimo decreto temperare conabatur, neque poterat (*ib. n.* 30 *ad* 35).

§ IX. Interea Clementi nono anno septuagesimo succedebat Clemens decimus; et Gorcomienses novemdecim Brielæ in Bataviâ seu Hollandiâ pro fide passos martyribus accensebat. Innocentius undecimus anno septuagesimo sexto solium Pontificale conscendit, morum severitate, misericordiâ erga pauperes, ardenti contra vitia et abusus zelo, atque instaurandæ melioris disciplinæ, laxæ de moribus doctrinæ frenandæ, et cleri sæcularis et regularis scientiâ et virtute illustrandi studio, aliisque virtutibus celeberrimus. Magnæ fuere inter Innocentium undecimum et Ludovicum quartum decimum Galliæ Regem certamina: tum ratione iurium quæ vocantur *Regalia* et quatuor famosarum propositionum de quibus alibi nonnulla dicimus; tum etiam ratione iuris asyli quod domibus legatorum in aulis Principum concedi solet. Cùm enim Romæ ultra modum hæc asyla ampliata fuissent, Innocentius ea ad iustos terminos contrahi iussit, quod cæteri Principes eorumque legati humanissimè acceperunt. At Ludovicus in totâ usitatâ extensione asyli iura legato suo servari, vi et armis vivente Innocentio contendebat; post eius autem mortem illa iura in pluribus minui patiebatur. Innocentii tempore Romæ damnatus fuit Michaël de Molinos falsorum *mysticorum*, quos *quietistas* vocant, coriphæus (*ib. n.* 36 *ad* 42).

§ X. Alexander octavus anno octogesimo nono promotus, quasdam propositiones quæ nimiam laxitatem, item alias quæ nimium rigorem in rebus morum sapiebant, damnandas censuit. Innocentius duodecimus anno nonagesimo primo ad sedem Pontificiam evectus, vir egregiis animi dotibus ornatus, *nepotismi* abusus datâ lege, seu editâ bullâ prohibuit: erga pauperes summam misericordiam ostendebat: ut in omnibus iustitia accuratissimè servaretur invigilabat: pacis amantissimus antiqua dissidia inter Franciam et Romanam curiam feliciter terminabat; atque ut in omnibus religiosis Ordinibus regularis observantia et sancti mores reviviscerent, multa opportunissimè providebat (*ib. n.* 43 *ad* 46 *et* 52).

§ XI. Interea in Franciâ famosissimum certamen de rebus devotionis inter duos clarissimos viros Bossuetum

et Fenelonium ciebatur. Cùm enim per totum regnum falsorum *mysticorum* seu *quietistarum* errores clam serpere fama ferret; plures suspicabantur eâ peste infectam esse Dominam *Guyon* nobilem mulierem in aulâ regiâ celebrem, quæ plura scripta ascetica seu *mystica* ediderat. Ipsâ instante, iussit Rex illius scripta à Bossueto, Fenelonio, duobusque aliis sapientibus viris in examen vocari. Quo finito, censorumque iudicio Dominâ *Guyon* promptè dociliterque subscribente, Fenelonius librum edebat, in quo *Sanctorum sententias de vitâ interiori* exponere conabatur: hunc librum acriter impugnabat Bossuetus: liteque ad romanum Pontificem delatâ, Fenelonii liber, pluresque ex ipso excerptæ propositiones damnabantur. Fenelonius verò Pontificis contra suum librum decretum seu bullam prompto et alacri animo servari mandabat, pretiosum et eo tempore opportunissimum modestiæ exemplar toti Franciæ offerens (*ib. n.* 47 *ad* 52).

§ XII. Italiam sanctus Carolus Borromæus sæculo sexto decimo adhuc iuvenis sanctis moribus ædificabat: archiepiscopus Mediolanensis et cardinalis creatus, erat iam tunc episcopalis ordinis in his postremis sæculis lumen præclarissimum. Pio quarto, cuius sororis filius erat, eum lateri suo adesse iubenti, multa in bonum Ecclesiæ suggessit Carolus; et præcipuè ultimæ Tridentinæ Concilii convocationi, faustoque fini feliciter operam dedit. Caroli ardentissimus prudentissimusque pro domo Dei zelus ad omnium statuum personas, omniaque ecclesiastica obiecta extendebatur. Pro ecclesiâ et diœcesi Mediolanensi, imò pro totâ eâ provinciâ indefessus laborabat: præcipuè in ecclesiis et populis visitandis, et in celebrandis synodis diœcesanis et provincialibus, quorum collectio pretiosissimum constituit corpus ecclesiasticæ disciplinæ hisce postremis sæculis accommodatissimæ. Cùm verò per urbem diœcesimque Mediolanensem dira pestis grassaretur, sanctus antistes infirmorum necessitatibus temporalibus et spiritualibus vigilanter providens, atque sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis ipsis administrans, totis quatuor mensibus, quibus durabat illa lues, inter infirmos permanebat. Diversa ad

colligendos pauperes hospitia, atque ad educandos clericos seminaria erexit, et vitam sanctissimam anno ætatis quadragesimo sexto finivit (*ib. n.* 53 *ad* 59).

§ XIII. Hispaniam à concilio Tridentino ad finem usque sæculi decimi non nisi Reges quatuor gubernarunt, nempè Philippus secundus, tertius, et quartus, et Carolus secundus. Tempore Philippi secundi hæretici Flandriæ seu Belgii in Regem rebellarunt; et inde longum bellum motum est, quod septem maritimas provincias ab Ecclesiæ unitate, et ab Hispaniæ monarchiâ separabat. Sub eodem Philippo, Hispaniæ regno iterum iungebatur Lusitania. Et hispanorum colonia Manilas insulas colendas suscipiebat, quæ à Philippi nomine *Philippinæ* vocatæ sunt. In Christi evangelio per eas regiones extendendo, atque in fide catholicâ in Europâ sustinendâ pius Rex plurimùm laborabat. Philippus tertius maurorum posteros, in montibus Granatæ apertè rebellantes, et in diversis Hispaniæ provinciis turbidos motus sæpè excitantes, è regno expulit. Postea Philippo quarto regnante, Lusitania proprium sibi Regem iterum constituebat; et Hispaniæ vires maximè decrescebant. Etiam sub Carolo secundo: cuius erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pietatem, quam ad nostra usque tempora eius successores conservant, exteri viri magnoperè mirantur (*ib. n.* 60 *ad* 66).

§ XIV. Interea Toletanam et Tarraconensem ecclesias insignes antistites gubernabant: quos inter sapientiâ eminebat Antonius Augustinus Tarraconensis, cuius multa et præclara volumina etiam nunc cum plausu leguntur. Venerabilis Bartholomæus à Martyribus archiepiscopus Bracar-augustanus eodem victu et habitu, eâdem paupertate in ædibus archiepiscopalibus, ac antea dum religiosus in cellâ cœnobii, vivebat: unde in pauperibus sublevandis effusissimus esse potuit et fuit. Audiendis, dirigendis et solandis omnibus qui ipsum adibant, multum temporis insumebat: quod exactis officii sui muneribus supererat, totum orationi et studio impendebat. Ardenti zelo totam suam diœcesim釋 paternè visitavit, ubique sermonem ad populum habens, audientium captui semper accommodatum. Tridentino concilio interfuit,

ibique contra quorumdam Prælatorum luxum vehementer clamabat, auctoritatem ministrorum Ecclesiæ, quæ eorum virtutem et zelum gloriæ Dei et salutis animarum consequitur, firmiorem esse atque maiorem asseverans eâ, quæ mediis humanis procuratur. Romam cum cardinali de Lotharingia profectus, à Pio quarto et cardinalibus honorificè receptus est : atque etiam coram romano Pontifice severa circa victum et habitum ministrorum Ecclesiæ sensa sua ingenuus aperiebat. Bracaram regressus, quæ ad morum reformationem Tridenti statuta fuerant, accuratè observari conabatur. Denique ob infirmam valetudinem, annuente romano Pontifice, episcopatui renuntiabat : et in cœnobio quod erexerat, religiosâ obedientiâ et paupertate vitam finivit anno supra millesimum quingentesimo nonagesimo (*ib. n.* 67 *ad* 81).

§ XV. Eodem tempore Hispanam ecclesiam illustrabat B. Ioannes de Ribera, qui anno sæculi sexagesimo secundo, ætatis verò trigesimo, Pacensis episcopus electus, et post septennium Valentinus archiepiscopus, utramque ecclesiam sanctis moribus, verbis, scriptisque mirè ædificavit : et ferè quinquaginta annis in episcopatu sanctissimè transactis, pluribus sacrarum virginum et Capuccinorum domibus fundatis, et collegio quod de *Corpore Christi* nominari voluit magnificentissimo erecto, ut perpetuum esset gravitatis et devotionis quibus Divina officia in ecclesia celebrari debent documentum, anno ætatis septuagesimo nono plenus virtutum et meritorum potiùs quàm dierum obiit (*ib. n.* 82 *et* 85).

§ XVI. Sæculi decimi septimi anno trigesimo nono Angelopolitanus in Americâ episcopus eligebatur Ven. Ioannes de Palafox. Et quamquam à Rege plura civilia munera ei fuerint commendata, in quibus multa Regiæ auctoritati et illorum populorum prosperitati ac quieti opportuna magno labore providit, sui tamen gregis in doctrinâ christianâ instructioni, antiquorum abusuum vitiorumque, præcipuè inter ecclesiasticos sæculares et regulares nimis grassantium correctioni, atque disciplinæ in celebrandis Divinis officiis, et sacramentis administrandis reformationi ita incumbebat, quasi totum ani-

mum cunctis momentis in episcopale munus unicè intenderet. Hinc gravissimas molestias et persecutiones passus est, et ad Oxomensem in Hispaniâ ecclesiam translatus, eodem zelo novam gregem exemplo, verbo et scriptis ad mortem usque pascebat. Plures alii singulari scientiâ ac virtute illustres episcopi hispanas ecclesias à concilio Tridentino ad finem usque sæculi decimi septimi gubernarunt, ut Velazquez, Estrada, Manrique, Moscoso, Arce, Reynoso, cæt. Præclaris autem Ecclesiæ præsulibus sociari meretur vir apostolicus Ven. Ioannes de Avila, sanctissimis moribus, continuâ verbi Dei prædicatione, et scriptis *asceticis* celeberrimus (*ib. n.* 84 *ad* 87).

§ XVII. Præter plura concilia provincialia, quæ paulò post Tridentinum celebrabantur, singulari memoriâ dignum est quod anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo Toleti coactum fuit; in quo plura opportunissimè decreta sunt. Tarracone frequentia fuere labente sæculo decimo sexto et toto decimo septimo, præcipuè convocata ut inter Regem et Clerum super gratiis *subsidii* et *primæ decimæ*, quas Regi Pontifices concesserant, ferè singulis quinquenniis concordia innovaretur. Antiquarum constitutionum provincialium Tarraconensium pretiosam collectionem formavit sapientissimus Antonius Augustinus: quam postea archiepiscopus Teres auctam rursùs edidit. Atque in pluribus Hispaniæ diœcesibus constitutiones synodales ultimis annis sæculi decimi septimi, et prioribus sequentis edebantur, quæ etiam nunc vigere solent. Et hæc de Hispanâ ecclesiâ (*ib. n.* 88).

§ XVIII. Gallicana à Tridentino concilio ad finem sæculi decimi sexti, et ferè toto sequenti magnis procellis ab hæresi motis agitata est. Reformati etenim seu calvinistæ post colloquium Pisciaci habitum cum catholicis, audaciores facti, anno sequenti, nempè millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, arma sumebant, et bellis civilibus totum Franciæ regnum infestare incipiebant, horrendæ immanitatis multa exempla præbentes. Catholicorum exercitus frequentes victorias ex ipsis reportabat; at illi neque ad fidem catholicam, neque ad Regis obedientiam redire volebant. Tentabat Rex ab an-

no septuagesimo summâ indulgentiâ aut benignitate eos allicere; illi tamen magis tumultuabant, maioraque in dies moliebantur. Hinc anno septuagesimo secundo ea calvinistarum cædes necessaria habebatur, quæ gallicè *Saint-Barthelemi*, à die S. Bartholomæi qua contigit, vocata est, et in qua aliquot calvinistarum millia Parisiis et ferè per totam Franciam necati sunt. Hanc stragem, etsi in eâ multa abs dubio reprehendenda facta sint, et ipsum Regis mandatum difficilè excusari possit; qui tamen illorum calvinistarum circumstantias attentè consideraverit, non adeò nigris coloribus, ut passim fieri solet, repræsentandam fatebitur (*ib. n.* 89 *ad* 96).

§ XIX. Henricus tertius Caroli noni in regno Franciæ successor anno septuagesimo sexto calvinistas timens, cum illis pacem inibat, in qua nimis multa catholicis valdè exosa concedebat; atque inde Principes catholici Franciæ celebre illud fœdus inter se inierunt, quod *Liga* hispanè appellarunt, ad impediendum ne quis hæreticus Princeps regni thronum occuparet. Interea Rex catholicis et calvinistis complacere studens, omnibus invisus erat: unde Parisiis catholici populi seditio in milites Regis commovebatur, quam Dux ipse de Guisia, præcipuum fœderis caput, difficilè sedabat. Tunc, nempè anno octogesimo octavo, fœderatis catholicis Rex intimè coniungi visus est; et edictum, quod *henoticon* seu unionis vocabatur, edidit, hæreticos à regni successione excludens, et alia multa disponens, ut galli omnes catholicæ tandem unirentur Ecclesiæ. Vix hoc edictum Henricus publicaverat, cùm in ipsâ domo regiâ Ducem de Guisia, et paulò post ipsius fratrem Cardinalem occidi, cætera verò præcipua fœderis capita carcere concludi iubebat. Unde odio contra Regem fœderati furebant; et anno octogesimo nono Rex ab iniquissimo sicario lethale vulnus in imo ventre accepit, et sequenti die mortuus est (*ib. n.* 97 *ad* 102).

§ XX. Statim Henricus quartus à toto exercitu verus Rex Franciæ agnoscebatur, et fœderatorum exercitum iteratis victoriis dissolvebat, præcipuè postquam anno nonagesimo tertio, publicè abiuratâ calvinianâ hæ-

resi catholicam fidem profitebatur. Nec multò post urbem Parisiensem totumque regnum sibi subiiciebat. Anno nonagesimo octavo celebre edictum Nannetense promulgabat, in quo reformatis seu calvinistis ius ad honores et munera regni tribuebatur, atque synodos celebrandi et cœtus agendi facultas. Sæculi decimi septimi anno decimo etiam Henricus quartus ab immani sicario barbarè trucidabatur, et Ludovicus tertius decimus eius filius, decem annorum puer, thronum ascendebat. Calvinistæ intra ipsa gallici regni viscera distinctam quamdam et regno inimicam rempublicam iam diu constituebant: urbem Rupellam (*La Rochela*) loci naturâ et arte munitam supremâ auctoritate gubernabant, milites ibi tum domesticos cùm exteros conscribentes. Inde frequentes erant turbidi motus, donec Ludovicus tertius decimus anno vigesimo octavo post longam obsidionem Rupellam sibi subiiciens, antiquissimi belli civilis, antea sæpè ex cineribus erumpentis, focum præcipuum extinguebat (*ib. n.* 103 *ad* 105).

§ XXI. Anno quadragesimo tertio Ludovicus quartus decimus, cognomento *Magnus*, patri suo in regno Franciæ succedebat; et inde per multum temporis calvinistarum conversionem, blandè quidem, diversis tamen mediis, et summâ prudentia, constantiâ et efficaciâ procurabat. Cùm verò post quadraginta regni annos sectam adhuc numerosissimam, falsæ libertatis genio animatam, in rebus politicis non nisi scita democratica spirantem, atque monarchicum dominium abhorrentem observaret, illam etiam per vim extinguere cogitavit; et anno octogesimo quinto famosum Nannetense edictum abrogabat, et reformatæ religionis cultum publicum cœtusque prohibebat. In quo quidem plures in re politicâ versatissimos viros consentientes Rex habuit; cumque à iustitiæ normâ in hac edicti abrogatione non defecisse percelebris iurisconsultus Grotius, ipse non catholicus, ostendit (*ib. n.* 106 *et* 107).

§ XXII. In Franciâ præter concilia, in quibus de moribus et disciplinâ plura opportunissima statuta fuere, universi cleri comitia seu conventus ferè singulis quin-

quenniis celebrari solebant: in quibus non solùm de pecuniariis subsidiis à clero reipublicæ ministrandis agebatur, sed etiam de fide conservandâ, de novis sectis aut erroribus compescendis, et de morum ac disciplinæ puritate fovendâ. Horum conventuum nullus celebrior eo est, qui anno millesimo sexcentesimo octogesimo secundo coactus fuit, in quo *regalium* ius ad omnes Franciæ vacantes ecclesias, paucis repugnantibus episcopis quos romanus Pontifex protegebat, extendebatur; et illa quoque de potestate Pontificis Romani declaratio fiebat, quæ quatuor propositionibus sub nomine *Libertatum ecclesiæ Gallicanæ* famosissimis constat. Has propositiones à nemine in Galliâ impugnari, et ab omnibus pro viribus defendi severo edicto iubebat Rex. Contrà verò romani Pontifices illius conventûs acta nullius esse roboris, et quatuor propositiones esse omninò reiiciendas declarabant. Et hæc de cleri gallicani conventibus. Nunc de illis qui in Francià singulari pietate his temporibus floruere nonnulla dicamus (*ib. n.* 108 *ad* 116).

§ XXIII. Ac primò quidem de sacris virginibus et viris solitariis *Porturegiensibus* quodnam feremus iudicium? Profectò salutarem disciplinæ monasticæ ad normam veteris Cisterciensium severæ legis reformationem in monasterio Porturegiensi viguisse, dubitari non debet: multosque, etiam nobilissimos viros, et summis antea honoribus in sago et togâ functos, extra monasterii septum vitam austerissimam silentio, ieiuniis, vigiliis, oratione, libris scribendis et iuventute erudiendâ, aut etiam servilibus et rusticis laboribus transegisse. Ut ut autem hæc laudanda sint, non potest tamen non reprehendi obstinata inobedientia, qua formulæ ab Alexandro septimo præscriptæ subscribere recusabant. Præcipuè postquam Illustrissimus Bossuetus, litteris ad moniales missis, evidenter ostendebat vanissimos esse prætextus, quibus monialium inobedientiam earum consiliarii obtegere conabantur; atque legitimo superiore subscriptionem præcipiente, ad eam ex gravissimâ obedientiæ lege teneri (*ib.* 117 *ad* 122).

§ XXIV. Inter eos, qui in Franciâ verâ pietate

sanctisque moribus floruere, numerandi sunt Henricus Barillon episcopus Lucionensis, cardinalis Le Camus, Claudius Bernardus quem *sacerdotem pauperem* appellant, Ven. Maria de Combé, et præcipuè sanctus Franciscus Salesius, qui non modò episcopatum suum Genevensem vivens illustrabat, sed totam Sabaudiam imò et Franciam magno hæreticorum ad fidem catholicam numero converso, pietatem exemplo et verbo inspirans. Scriptis verò suis etiam nunc per Hispaniam nostram et alia catholicorum regna veram devotionem christianam maximè fovet. Sed iam Ecclesiam in Angliâ consideremus (*ib. n.* 123 *ad* 133).

§ XXV. Dum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo regina Elisabetha summo omnium ordinum consensu solium Angliæ conscendebat, religionem catholicam conservare iurabat. De suo ad thronum ascensu certiorem fecit Paulum quartum romanum Pontificem, qui eam ceu Reginam agnoscere noluit, utpote ex illegitimo matrimonio natam. Hanc repulsam ægerrimè tulit Elisabetha; et tunc religionem catholicam in totâ Angliâ destruere moliebatur: imò hæreticos tam Franciæ quàm Belgii maximè protegebat. Simul ac Elisabetha supremam in rebus Ecclesiæ auctoritatem sibi arrogavit, et in Ecclesiæ fide et præcipuis publici cultûs actibus plura immutare cœpit, in viros catholicos qui eas novitates probare non poterant dira insectatio mota est: quæ multùm sæviebat quando sanctus Pius quintus anno septuagesimo eam Ecclesiæ communione, et Angliæ regno privatam declarabat. Etiam in Mariam Stuartam Reginam Scotiæ, quæ ad Angliam confugerat, et utpote in fide catholicâ constantissima catholicis Angliæ oppressis compati solebat, irascebatur Elisabetha; et quamvis innocentissimam, ultimo supplicio affici iussit, quod Maria tranquillo fortique animo, se in odium catholicæ fidei capite damnari publicè testata, patiebatur (*ib. n.* 134 *ad* 142).

§ XXVI. Elisabetham in Angliæ regno anno millesimo sexcentesimo tertio sequebatur Iacobus primus antea Rex Scotiæ: cuius tempore inter *anglicanos* seu episcopales, et *puritanos* seu presbyterianos, antiqua dissidia maximè

effervescebant. Imò nova audacium virorum nascebatur secta, qui *independentes* vocabantur, quoniam neque episcoporum cum primis, neque synodorum presbyterorum cum prostremis auctoritatem agnoscebant; sed quemlibet christianorum etsi paucorum cœtum, Ecclesiam esse aiebant ab omni alio superiori prorsùs *independentem*. Iacobus factus Rex Angliæ episcopos aliaque anglicani ritûs in Scotiam inducebat, quamquam inibi à *presbyterianis* fuerat educatus: unde toti sectæ reddebatur invisus. In Regem Iacobum duæ conspirationes abs dubio ab hæreticis motæ fuerant: tertiam, quam *pulveris nitrati* vocant, paucissimis catholicis imputare potuerunt; et inde persecutio in omnes recrudescebat (*ib. n.* 143).

§ XXVII. Iacobo primo succedebat eius filius Carolus primus: quem Cromuel *independentium* caput anno quadragesimo nono comprehendi, et capitis damnari iussit, Angliæ solium sub nomine *Protectoris* ipse occupans. Anno sexagesimo Carolus secundus, primi filius, ad solium patris tandem ascendebat: neque inimicus erat catholicorum, imò ante mortem catholicum fuisse verisimillimum est. Nihilominùs catholici dirè tractabantur, pluresque morti tradebantur tamquam conspirationis rei: inter quos *vicecomes* Strafordiensis, et Oliverius Armacanus in Hiberniâ archiepiscopus, magno etiam protestantium plurium luctu interfecti sunt. Carolo anno octogesimo quinto moriente, solium conscendit ipsius frater Iacobus secundus, qui catholicus erat: atque immoderato et præcipiti instaurandæ catholicæ fidei in Angliâ studio ardens hæreticorum odium magis inflammabat; unde Guillelmum Arausionensem, qui Iacobi filiam duxerat uxorem, hæretici vocabant ut thronum ascenderet; et Iacobus ad Gallos proficisci cogebatur. Tandem anno millesimo septingentesimo quarto decimo decreto Senatûs seu *Parlamenti* Angliæ à Regio solio catholici omnes excludebantur (*ib. n.* 144 *et* 145).

§ XXVIII. Etiam in Sueciâ et Daniâ à tempore concilii Tridentini summè dominantur reformatorum sectæ, quæ catholicos toto sæculo decimo septimo difficilè tolerabant. Nihilominùs aliquæ in borealibus regionibus

subsistebant ecclesiæ catholicæ, eorum præcipuè legatorum evangelicorum ope, quos Roma ad infideles aut hæreticos mittere solet. Hos inter singulari memoriâ dignus est Nicolaus Stenonius, gente danus, medicus celeberrimus, qui cùm è lutheranis ad catholicorum partes transiisset, in hæreticis convertendis primò in ipsâ Daniâ anatomiam docens, et postea etiam episcopus consecratus in Hannoveriensi Ducatu, et aliis Germaniæ regionibus, prudenti ferventique zelo laborabat (*ib. n.* 146 *et* 147).

§ XXIX. In Germaniâ plura sævaque bella sæculo decimo septimo hæresis excitabat; et anno trigesimo Gustavus Adolphus Sueciæ Rex lutheranam reformationem extendere satagens, in Germaniam ferox irrumpebat; et quamquam paulò post annos duos in prælio ad Lutzam occumbebat, durabat tamen bellum ad annum usque quadragesimum octavum, quo pace Wetsphalicâ finiebatur. Etiam postea frequentia fuerunt inter christianos, præcipuè inter Germaniæ Imperatores et Franciæ Reges, bella: dumque ita christiani Principes inter se digladiabantur, turcarum Imperium vires suas reparabat, aut augebat. In hoc Imperio christiani omnes durâ ut semper servitute opprimebantur (*ib. n.* 148 *ad* 151).

§ XXX. Græci schismatici non potentes Cyrilli Lucaris constantinopolitani patriarchæ, qui Europæ magnam partem peragraverat, et reformatæ religioni potiùs quàm patriæ favebat, audaciam sustinere qua nova reformatorum dogmata græcis indere conabatur; variis conciliis, Constantinopolitano anno trigesimo octavo, Moldaviensi anno quadragesimo secundo, et Ierosolymitano anno septuagesimo secundo, lutheranorum et calvinistarum præcipuos errores damnabant. Græci tamen illi odio in ecclesiam Romanam protestantes æquabant vel superabant. Sed iam ad sæculum decimum octavum veniamus (*ib. n.* 152 *ad* 155).

CAPUT VI.

Synopsis sæculi decimi octavi.

Clemens undecimus. Ritus Sinenses 1 : *variè exponuntur* 2 ; *et plures severè damnantur* 3. Iansenismus : *casus conscientiæ* 4 : *Constitutio* Unigenitus 5 : *Appellatio ad concilium generale* : *Monitum episcoporum Franciæ* 6. *Concilium Romanum* 7. *Benedictus quartus decimus* 8 : *Clemens tertius decimus, et quartus decimus. Societas Iesu* 9. *Pius sextus : libri Februniani : iter Vindobonense* 10. *Propositiones Ducis Etruriæ : Synodus Pistoriensis* 11. *Conventus episcoporum : Bulla* Auctorem fidei 12. *Pius Franciam ire cogitur* 13 : *cum populi piissimè venerantur* 14. *Deus eludit impiorum conatus* 15. *Hispana ecclesia* : *Constitutio* Apostolici ministerii : *Pactum sive* Concordatum : 16. *Iurisdictio castrensis :* Rota *Matritensis* 17. *Asylum* : *esus carnium : subsidia ex bonis Ecclesiæ* 18. *De erectione seminariorum, et reformatione in Beneficiis* 19. *Leges civiles hispanæ de rebus ecclesiasticis* 20. *Episcopi illustres. Toletani* 21 : *Tarraconenses* 22, *et alii plures* 23.

§ I. Initio huius postremi sæculi Romanam ecclesiam gubernabat Clemens undecimus, vir doctissimus, summâ modestiâ Pontificiam dignitatem triduo admittere recusans, et prudentiâ, sedulitate ac iustitiâ Ecclesiæ regimini intentus. Magnâ tunc animorum contentione agitabatur quæstio de ritibus Sinensibus, seu de cæremoniis quibus gens illa, rituum suorum amantissima, Confucii et parentum Manes honorant. Eorum namque nomina litteris aureis expressa in tabulis servant, in quibus

solent etiam scribere *Xin-guey*, seu *animæ thronus*: easque tabulas et maiorum sepulcra supplices et in terris prostrati salutant. Quibusdam etiam vocibus Deum invocant, quibus cœlum ipsum materiale significari videtur (*Lib. XVI. n. 156 ad 158*).

§ II. Eos ritus congregatio *de Propagandâ fide* christianis illicitos iam diu declaraverat, quoniam ut ritus religiosi repræsentati fuerant. Contrà verò cùm Romanæ Inquisitioni ut signa honoris civilis repræsentarentur, iis interesse posse christianos decernebat, dummodò ab omni superstitione, si qua misceretur, diligenter caverent. Unde per multùm temporis *missionarii* hos ritus Sinis christianis permittebant aut prohibebant, prout eos civiles vel religiosos attentis circumstantiis æstimabant. Iesuitæ, qui pro rituum tolerantiâ pugnabant, eorum omnium explicationem ab Imperatore Sinarum probatam exhibebant, ex qua evidenter colligebatur, ritus illos ad venerationem civilem dumtaxat pertinere, minimè verò ad venerationem seu cultum religiosum. Imò etiam Sinas, dum cœlum invocant, non ad cœlum ipsum materiale, sed ad Deum cœli auctorem et Dominum mentem referre, Imperator testabatur (*ib. n.* 158 *ad* 160).

§ III. Nihilominùs congregatio *de Propagandâ*, re iterum maturè examinatâ, ferè omnes ritus anno sæculi quarto superstitiosos declaravit; et Clemens undecimus Turnonium mox cardinalem Sinam misit, qui cùm ritus illos christianis severè interdixisset, in carcerem missus fuit, ibidemque obiit. Postea idem Pontifex decretum anni quarti et edictum Turnonii non observata fuisse querebatur, severisque pœnis ea exactissimè servari iubebat. Cùm vero postea prætextu declarationis cuiusdam novi legati Pontificii seu visitatoris Apostolici, nempè Ambrosii Mediabarba, iterum ritus illos plures *missionarii* tolerarent; tandem Benedictus quartus decimus decernebat nullâ ratione aut prætextu tolerandos esse, quoniam apertè superstitiosi sunt, et christiana tolerantia ad ritus idololatricos extendi non potest (*ib. n.* 161 *ad* 163).

§ IV. Iesuitæ qui in lite cæremoniarum Sinensium

rei esse videbantur, actores summi erant in aliâ quæ Ecclesiam in Franciâ maximè perturbabat, nempè in causâ *Iansenismi*. Huius factionis turbidi motus initio sæculi decimi octavi recrudescebant occasione famosi *casûs conscientiæ* eo fine propositi, ut formulæ asserenti propositiones damnatas esse in libro Iansenii, quoad factum subscribendum non esse colligeretur. Casum eiusque ad Iansenistarum placitum decisionem, Bossuetus, Noaillius, cæterique ferè omnes Galliæ episcopi, et deinde etiam romanus Pontifex condemnarunt. Protinùs autem nova duriorque procella excitabatur occasione *Novi Testamenti à Quesnello gallicè redditi*, et *observationibus christianis et moralibus instructi*. Hoc opus summo plausu acceptum, et iteratis editionibus mirè sparsum statim fuit. At sensim visum est, in pluribus observationibus *iansenianæ* factionis præcipua placita ingeniosè et eleganter proponi, quo in legentium animos suaviùs instillentur (*ib. n.* 164 *ad* 167).

§ V. Hinc opus corrigendum sensati omnes facilè concedebant: plures omninò damnandum arbitrabantur; atque Ludovicus quartus decimus illius publicam solemnissimamque condemnationem à Clemente undecimo instantissimè flagitabat. Atque hinc constitutio *Unigenitus*, in qua totum Quesnelli opus, speciatim verò una et centum illius propositiones damnantur, anno sæculi tertio decimo post longum examen maturumque iudicium promulgabatur. Et hæc constitutio non solùm à Franciæ episcopis ferè omnibus, sed à pluribus etiam aliarum catholicarum regionum expressè accepta fuit, et tandem legis etiam civilis auctoritate in Franciâ munita (*ib. n.* 167 *ad* 170).

§ VI. Nihilominùs ingens fuit eorum numerus, qui contra constitutionem *Unigenitus* ad futurum concilium universæ Ecclesiæ provocarunt, vehementissimæque exinde concertationes in Galliâ præcipuè excitatæ sunt. Atque hisce constitutionis inimicis refractariis quando et qua ratione in horâ mortis sacramenta deneganda essent, Benedictus quartus decimus prudenter decernebat. Iam verò constitutionem *Unigenitus* eius hostes accusabant,

quòd plures propositiones damnaret, quæ similibus conceptæ verbis in scriptis sanctorum Patrum, imò etiam in sacrâ Scripturâ legebantur. Unde Franciæ episcopi *instructionem* edebant, in qua singulas propositiones damnatas expendentes, demonstrabant nullam esse quæ sensum aliquem aut errorem præ se ferentem, aut sin minùs ad errorem inducentem non offerat. Ipse autem Clemens aliique romani Pontifices multis modis demonstrarunt Quenelli propositiones solùm damnari in eo pravo sensu, quem in dicto opere produnt, non in sensibus quos forsan aliàs offerre valent: talemque censuram non nisi summâ iniuriâ contra sententias de gratiâ efficaci, cæterasque ab scholis catholicis etiam Romæ publicè propugnatas allegari posse (*ib. n.* 171 *ad* 174).

§ VII. Clementem anno millesimo septingentesimo vigesimo primo in solio Pontificio consequebatur Innocentius tertius decimus, cui debet Hispania constitutionem *Apostolici ministerii*. Benedictus tertius decimus anno vigesimo quarto electus, insigni pietate vir, atque vitiorum et abusuum reformandorum studiosissimus, concilium Romæ celebravit anno vigesimo quinto, in quo multa opportunissimè statuebantur. Clemens duodecimus anno trigesimo promotus controversias quasdam inter aulam Romanam et Matritensem iam nimis ferventes, pacto convento cum Philippo quinto anno trigesimo septimo extinguere curavit (*ib. n.* 175 *et* 176).

§ VIII. Clementi anno quadragesimo succedebat Benedictus quartus decimus, vir summâ eruditione, prudentiâ, aliisque virtutibus præclarus, qui hoc nomine, nec non ut *Prosper Lambertinus,* toto orbi litterario notissimus est, et non solùm catholicis, sed etiam aliarum religionum viris sapientibus magni habitus. *De beatificatione et canonizatione Sanctorum* eruditissimè et sensatissimè scripsit, sicut etiam *De Missæ sacrificio, De festis Iesu-Christi, et sanctissimæ Virginis,* et alia plura. Multa scribebat dum archiepiscopus Bononiensis fuit, fidelibus suæ diœcesis in fide et moribus instruendis, et ad sinceram pietatem ducendis opportuna. Atque in constitutionibus quas ad summum Pontificatum evectus

edidit, decreta sua seu declarationes non auctoritate tantùm fulcit, sed singulari doctrinæ copiâ mirificè ornat. Obiit Benedictus anno quinquagesimo octavo, et solium Pontificium Clemens tertius decimus ascendit (*ib. n.* 177 *ad* 184).

§ IX. Erat iste Pontifex moribus irreprehensibilis, mitique animo, erga pauperes beneficentissimus, et Ecclesiæ illustrandæ ac defendendæ studiosissimus. Gravibus tamen et continuis cum quibusdam catholicis Principibus controversiis, aliisque angustiis oppressus, amarissimum Pontificatum post decennium, nempè anno sexagesimo nono, repentinâ morte finiebat. Tunc eligebatur Clemens quartus decimus, ex ordine fratrum Minorum assumptus, vir valdè doctus, et pacis amans; qui catholicos Principes electionis certiores statim faciebat, et sincerâ cum illis pace et amicitiâ agendi ostendebat desiderium: quo omnium affectuum sibi comparabat. Postea, re per quadriennium maturè cogitatâ, ordinem *Societatis Iesu* extinguebat, ut antea diximus, et anno septuagesimo quarto moriebatur (*ib. n.* 185 *et* 186).

§ X. Clementis locum die quintâ decimâ februarii anni sequentis occupabat Pius sextus, magnanimus, rectus et beneficus; qui viginti quatuor annis, sex mensibus, et quatuordecim diebus, difficillimis sanè temporibus, Ecclesiam gubernavit, cùm vigesimâ nonâ augusti anni nonagesimi noni mortuus sit. In epistolâ ad universæ Ecclesiæ episcopos statim post electionem antiquo more directâ lamentabatur Pius grassantem ubique impietatem seu falsam philosophiam; eiusque non modò in Sacerdotium sed in Imperium quoque furens odium tranquillitatis publicæ ruinam minitari observabat. Impiorum librorum, et errorum etiam cum purâ fide pugnantium cursum coërcere nitebatur: fidei præcones ad gentilium regiones mittebat; et catholicos viros Angliæ, Sueciæ et Russiæ opportunis auxiliis et officiis protegebat. Speciatim verò in provinciis fœderatis Americæ Septentrionalis catholicæ fidei extensionem mirificè promovit. Auctor librorum, qui sub nomine Iustini Febronii tantos motus excitaverat, audacium opinationum

suarum retractationem Pio supplex ac pœnitens obtulit, à quo humanissimè acceptus fuit. Ex *Febroniano* opinandi modo frequentia dissidia inter aulam Imperatoris Germaniæ et Pontificiam nascebantur, quæ ut radicitùs evelleret, aut saltim temperaret, pacificus Pontifex Vindobonam anno sæculi octogesimo secundo Imperatorem invisurus profectus est. Tunc in lucem emittebatur libellus inscriptus *Quid est Papa?* quem primò despiciebat Pius; postea tamen damnandum censuit. De Nuntiis apostolicis magnâ doctrinæ copiâ egit (*ib. n.* 187 *ad* 195).

§ XI. Interea tamen quinquaginta septem propositiones, quasi religionis puritati ac splendori instaurandis opportunæ, à magno Etruriæ Duce episcopis sibi subditis expendendæ mittebantur, quæ tantam in Ecclesiæ gubernatione ac Divini cultûs actibus mutationem præ se ferebant, ut absque summo dolore eas legere Pius non potuerit. Augebatur Pontificis pœna synodo Pistoriensi anno octogesimo sexto celebratâ, quæ magnum Ducem exorabat ut plura circa matrimonii impedimenta, iurisiurandi abusum, festorum diminutionem, parochiarum limites, Regularium reformationem, et celebrationem patrii concilii decerneret, quæ nec omnia opportuna, nec civilis potestatis propria videbantur (*ib. n.* 196 *ad* 202).

§ XII. Concilium patrium ipse magnus Etruriæ Dux peroptabat, atque ut feliciùs postea celebraretur, episcoporum omnium sui Ducatûs conventum cogi iussit, in quo propositiones illæ quinquaginta septem, et capita sex à synodo Pistoriensi proposita in examen vocarentur. Episcopi omnes summum erga magnum Ducem obsequium, et ardentem Ecclesiæ amorem præ se ferebant; at nisi duo vel tres, cæteri omnes etiam sanctæ Sedis magnam venerationem, et animum à novitatis spiritu vel genio valdè abhorrentem. Unde non ampliùs cogendi patrii concilii cura habita est. Conventus iste Florentiæ anno octogesimo septimo celebrabatur. Postea anno nonagesimo quarto constitutionem quæ incipit *Auctorem fidei* edebat Pius sextus, in qua synodi Pistoriensis acta damnat, et speciatim octoginta quinque

propositiones, in quarum pluribus pravum sensum qui damnatur explicat, ut omnis calumniandi tollatur occasio (*ib.* 203 *ad* 209).

§ XIII. Quæ mala ex impotenti plurium desiderio coërcendi usum facultatum romani Pontificis, atque Divinum cultum, et varia disciplinæ capita in rebus etiam gravissimis immutandi, Pius sextus vel in ipsâ Italiâ verebatur; prudentiâ suâ, consiliis, monitis ac doctis epistolis, aliisque scriptis faustè præcavebat. In ultimis autem vitæ suæ annis novis atque sævioribus procellis agitatus est, quæ ad mortem usque perdurarunt. Etenim dum bella ex horrendâ rerum in Franciâ perturbatione nata Italiam perveniunt, franci exercitus territorium Ecclesiæ occupant, et Pontifex ab urbe Româ, imò à totâ ditione suâ exire cogitur; et posteaquam Senæ et Florentiæ tredecim mensibus manserat, Franciam mittitur, Valentiam ad Rhodanum decimâ quartâ iulii anni sæculi nonagesimi noni pervenit; ibique circa finem mensis proximi sanctissimè moritur (*ib.* 210 *et* 211).

§ XIV. Venerabilem senem octogenarium et infirmum Alpes transgredi, et Franciam ire iubent impii increduli; totius Ecclesiæ caput à plebe indomitâ despiciendum, et eius morte, quæ parùm differri poterat, acephalam Ecclesiam aut in varias partes scissam diu mansuram, indeque incredulitatem omninò triumphaturam sperantes. Pium tamen sextum non itali tantùm populi sed franci omnes singularibus amoris, venerationisque testimoniis recipiebant: nec illi solùm, qui eum ut Iesu-Christi Vicarium et totius Ecclesiæ caput venerabantur, sed *acatholici* quoque senem virtutibus magis ac infortuniis ipsis quàm annis venerabilem, alacri animi magnitudine adversam sortem tolerantem, atque pro totâ Franciâ, et pro suis immanibus oppressoribus fausta Deum deprecantem, summis laudibus extollebant (*ib. n.* 211 *ad* 214).

§ XV. Agnoscamus ergo omnipotentem Providentiam, quæ ex malis bona facere novit, labores Pii sexti in itinere Franciæ disposuisse, ut inter populos impietatis servituti ab aliquot annis tunc subiectos christiana

pietas et veneratio erga totius Ecclesiæ caput revivisce-rent. Etiam successoris Pii sexti electio, quæ propter infelicem Romæ et totius Italiæ statum difficillima ne foret timebatur, Venetiis die quartâ decimâ martii anno millesimo octingentesimo unanimi Cardinalium consensu, et magno omnium catholicorum plausu facta est, summusque Pontifex renuntiatus cardinalis Chiaramonti, qui nomen Pii septimi assumpsit. Ita Deus admirabili suavitate et efficaciâ omnia disponens, impiorum conatus eludebat, et Petri navim inter atrocissimas procellas à naufragio præcavebat *(ib. n.* 214 *)*.

§ XVI. Vidimus romanorum Pontificum seriem usque ad Pium septimum, qui universam Ecclesiam nunc regit, continuatam. Ad præcipua Hispanæ ecclesiæ sæculo decimo octavo gesta consideranda nos convertamus. Huius sæculi initio dum Hispania nostra belli longissimi theatrum fuit, quod ob mortuum Carolum secundum sine liberis ciebatur, multa mala ecclesiæ nostræ patiebantur, iisque omne commercium cum romano Pontifice quandoque interdicebatur. Pace tamen initâ magnanimus Philippus quintus singulari protectione res Ecclesiæ fovebat; atque Rege plurium episcoporum contra diversos abusus clamores romano Pontifici exponente, constitutio *Apostolici ministerii* ab Innocentio tertio decimo edita est, qua multa in bonum Hispanæ ecclesiæ decreta sunt, quæ ab omnibus quorum interest præ oculis semper haberi expedit. Deinde ut dissidia quædam inter Pontificiam et Hispanam aulam finirentur, nova conventio anno trigesimo septimo inita est; et alia postea celebrior anno quinquagesimo tertio inter Benedictum quartum decimum et Ferdinandum sextum, in qua antiqua dubia circa nominationem ad plures dignitates aut titulos ecclesiasticos concorditer declarabantur *(ib. n.* 215 *ad* 219 *)*.

§ XVII. Sub Carolo tertio, qui Hispaniam viginti novem annis gubernavit, multa in administratione et disciplinâ ecclesiæ nostræ immutata sunt. Anno sexagesimo secundo, auctoritate romani Pontificis, nova instituebatur ecclesiastica iurisdictio, quam vocant *castrensem*,

eique milites omnes subiiciebantur, qui proinde ab episcoporum removebantur iurisdictione. Etiam anno septuagesimo primo novum tribunal sub nomine *Rotæ Matritensis* à romano Pontifice erigebatur, in quo lites omnes Regularium, et aliorum ab episcopali iurisdictione exemptorum iudicari debent, et ad quod post sententias episcoporum et metropolitarum provocari potest (*ib. n.* 219 *ad* 221).

§ XVIII. Anno septuagesimo secundo nova romani Pontificis constitutio iura asyli in ecclesiis Hispaniæ strictioribus limitibus coërcebat, inter alia statuens, unicam fore in singulis oppidis et ad summum duas ecclesias ab episcopo designandas, quæ iuribus asyli gaudeant. Item anno septuagesimo nono ad regnum Aragoniæ et Navarræ extendebatur facultas comedendi carnes diebus sabbati extra quadragesimam et quatuor tempora, sicut in regnis Castellæ antiquâ consuetudine comedebantur. Insequentibus annis ad plures quadragesimæ dies, imò iam ferè ad omnes, usus carnium quibusdam conditionibus extensus est, accedente romani Pontificis auctoritate, et ad preces Regis. Eodem modo ab anno octogesimo tertio *canonicatorum* et *beneficiorum* (demptis *curatis*) quorum redditus sexcentorum *ducatorum* Hispaniæ, vulgò *de vellon*, summam æquarent aut excederent, pars aliqua, summùm tertia, pauperum beneficio expendenda desumi incipiebat: et anno nonagesimo secundo non nisi decimam accipi Regio decreto iubebatur. Sequentibus verò annis iteratis Pontificiis constitutionibus nova subsidia variis modis ex bonis Ecclesiæ, necessitatibus Monarchiæ abs dubio urgentibus, destinabantur (*ib. n.* 222).

§ XIX. Interea supremus Hispaniæ seu Castellæ Senatus episcoporum zelum ac vigilantiam aliquando excitabat ad abusus tollendos, et bonum Ecclesiæ promovendum; in quo singulari memoriâ digna est epistola ad omnes episcopos ultimâ die ianuarii anni septuagesimi octavi directa, qua Senatus eos iussu Regis vehementer hortatur ut clericorum seminaria ubi desint erigere curent, et quæ obstacula se se offerant, apertè propo-

nant, ut Regiâ protectione et auctoritate vincantur. Atque ille eiusdem Senatûs magistratuum consessus, Regi à consiliis sanctioribus, qui *Real Cámara* hispanè audit, et de iure patronatûs rebusque ecclesiasticis agere solet, in multis sæpiùs episcopos excitat ac protegit. Memorare sufficiat encyclicam anno sexagesimo nono de unione ac extinctione *beneficiorum* agentem, in qua principia statuuntur ad cleri sæcularis reformationem opportunissima (*ib. n.* 223).

§ XX. Ut tamen clariùs videatur quàm laudabili zelo Reges Hispaniæ supremusque regni Senatus Ecclesiam protegere, fideique puritatem et legum ecclesiasticarum seu canonum observantiam tueri soleant, novissimam hispanarum legum collectionem, anno quinto præsentis sæculi iussu Regio editam considerare sufficiet. Illius collectionis libri primus et secundus toti ad Ecclesiam pertinent: ibi de sanctâ Ecclesiâ, ipsius iuribus, bonis, redditibus, prælatis ac subditis, diffusè agitur. Item de iurisdictione ecclesiasticâ ordinariâ et mixtâ, ac de tribunalibus in quibus exercetur. In aliis libris leges etiam occurrunt, quibus perfecta pax inter Ecclesiæ antistites, et Regios Senatus ac iudices fovetur; et aliæ quæ de viris extraneis, qui in Hispaniâ domicilium constituere volunt, de sponsalibus, de matrimonio, de delictis et pœnis cæt., multa Ecclesiæ utilissima sanciunt (*ib. n.* 224).

§ XXI. Sed iam ex episcopis qui hispanas ecclesias sæculo decimo octavo gubernarunt, nonnullos memoremus. Toletanam, dissidiis ac calamitatibus longissimi belli dirè vexatam, anno decimo quinto regendam suscipiebat Franciscus de Valero, qui moribus sanctissimis et austerissimis, ardentissimo zelo salutis animarum et singulari prudentiâ contra vitia et abusus magno fructu laborabat. Eandem ecclesiam ab anno septuagesimo secundo ad ultimum sæculi regebat cardinalis Lorenzana, quem Catholicus Hispaniarum Rex Romam mittebat, ut Pio sexto in amarissimis labentis vitæ suæ tribulationibus socium se præberet, et solatio esset. Postea verò archiepiscopatum dimittente Lorenzana, in eius locum cardinalis de

Borbon, qui eum nunc feliciter gubernat, promotus fuit *(ib. n.* 225 *ad* 227 *).*

§ XXII. In ecclesiâ Tarraconensi ad removenda scandala corrigendaque vitia, quæ ex diuturnis bellis civilibus nunquam non oriuntur, sanctis exemplis, assiduis orationibus, frequenti ecclesiarum visitatione, et opportunis decretis archiepiscopus Emmanuel de Samaniego dimicabat; duobus etiam provincialibus conciliis in hunc finem coactis. In primo de vitâ honestâ clericorum, de modestiâ christianis omnibus necessariâ, de festorum observantiâ, et de templorum veneratione multa statuebantur. In secundo, anno vigesimo septimo celebrato, patres concilii monebat archiepiscopus non magis ad prudentia statuta edenda se paratos esse debere, quàm ad sedulò invigilandum ut edita accuratè serventur. Atque cùm ob multitudinem dierum festorum nimis ardua et ferè impossibilis pauperibus agricolis foret eorum observantia, censebat concilium à pluribus festis præceptum non laborandi auferendum, et solùm præceptum audiendæ Missæ relinquendum: quod romanus Pontifex lubens probabat. Multa alia idem concilium prudenter præcipiebat. Eandem verò Tarraconensem ecclesiam ab anno octogesimo quinto ad tertium sequentis sæculi illustrabat Franciscus Armañá, vir in scientiis ecclesiasticis valdè doctus, plebem suam magnâ doctrinæ copiâ, et masculâ eloquentiâ verbo et scripto erudiens, victu et habitu pauper et modicus, misericordiâ tamen in pauperes, et ad Divinum cultum, et reipublicæ bonum commune fovendum, dives et magnificus *(ib. n.* 228 *ad* 230 *).*

§ XXIII. Profectò Reges Hispaniæ ad ordinem episcopalem assumere solent ex clero sæculari et regulari viros doctrinæ ac virtutis famâ notiores, gravitate morum et prudentiâ magis spectabiles; et magno semper fuere numero, qui singulari zelo et dexteritate in muneribus episcopalibus adimplendis excelluere. Vicensis ecclesia suum Raymundum de Marimon, Gaditana Iosephum de Barcia, Gerundensis Balthasarem de Bastero, Valentina Andream Mayoral, Conchensis Isidorum de Carvajal, Barcinonensis

Iosephum Climent, Salmantina Philippum Bertran, Seguntina Ioannem Diaz de la Guerra, aliæque omnes singulos unaquæque aut plures sanctitate, doctrinâ, misericordiâ in pauperes, aliisque virtutibus christianis et politicis, monumentis etiam in bonum Ecclesiæ et Reipublicæ magnificè erectis, viros venerabiles cum plausu commemorant. Ita etiam nulla ferè est civitas, quæ virtutum heroicarum alicuius ex civibus suis recentem memoriam non habeat; et Barcino suum Iosephum Oriol pauperem presbyterum, in Beatorum ordine iam collocatum gloriatur. Sed de Hispanæ ecclesiæ sæculo decimo octavo historiâ, satis *(ib. n.* 231 *ad* 239*)*.

CAPUT VII.

Status Ecclesiæ sub finem ÆTATIS *quintæ in Hispaniâ et Franciâ.*

Consuetudines quædam immeritò improbatæ : Sancti baptizati 1 : *singularis cultus aliquarum imaginum* 2 : *plura altaria : Missæ privatæ* 3 : *multitudo sacerdotum : oratoria : festa* 4. *Abusus in his omnibus : quomodò fideles erga abusus se gerere debeant* 6. *Hispanæ ecclesiæ bona quædam adaucta* 8 : *et mala imminuta* 8. *Luxus effrenis* 9. *In Franciâ impietas et morum corruptio* 10 : *profusæ impensæ et ærarium exhaustum omnia turbant* 11 : *Notabiles : ordinum civilium generalis conventus : Ecclesia bonis spoliata* 12. *Ordines religiosi aboliti : Constitutio cleri* 13 : *iuramentum civicum : ferox ecclesiasticorum cædes* 14 : Conventio nationalis : *tribunal* revolutionarium 15. Directorium : *necdum cessat bellum in Ecclesiam* 16. *Nova rerum facies : Consules : Ecclesiæ pax* 17 : *conventio cum romano Pontifice* 18 : *Parisiis Legatus à latere* 19

Festum ob restitutam religionem catholicam 20. *Napoleo consul perpetuus* 21 : *Imperator Francorum* 22 : *Parisiis coronatur à Pio Septimo* 23 : *qui de itinere suo ad cœtum Cardinalium retulit* 24. *Religionis in Franciâ felix instauratio* 25.

§ I. PRÆSENTEM Ecclesiæ statum in toto orbe considerare aggredimur. Atque ut utiliùs cum statu quem prioribus ÆTATIBUS habuit conferre possimus, aliquas nunc in Ecclesiâ vigentes consuetudines, quæ recens inductæ à pluribus æstimantur, attentiùs inspiciamus; et an sola nomina recentia sint, an verò res ipsæ, observemus. Recens quidem est *sanctorum baptizatorum* nomen, quo reliquias martyrum ex Romæ *catacumbis*, quibusdam appellativis nominibus distinctas, per universum catholicum orbem latas significare solemus. Hæ tamen reliquiæ secundùm melioris critices regulas veræ sanctorum martyrum reliquiæ censendæ sunt; ac proinde cultus, qui ipsis tribuitur, non nova res est, sed antiquissimæ venerationis, qua martyrum reliquias semper Ecclesia coluit, fausta continuatio *(Lib. XVI. n.* 240 *)*.

§ II. Frequenter etiam in catholicorum oppidis aliquæ imagines Iesu-Christi, Beatissimæ Virginis aut Sanctorum sunt, quæ singulari præ cæteris similibus devotione venerantur. Attamen mos iste recens dici non potest; cùm ex iconoclastarum historiâ constet ante medium sæculum octavum imaginem Christi crucifixi in porticu palatii Imperialis Constantinopolitani fuisse collocatam, quam populus summâ devotione singularique frequentiâ colebat. Deinde plures sunt causæ, quæ imagines quasdam opportuniores reddunt ad memoriam archetypi felicius ac ferventiori pietatis affectu excitandam, quæ proindè debitâ veneratione quæ semper ad exemplar refertur videantur digniores. Demum imaginibus Regum certis locis et occasionibus longè maiora venerationis testimonia exhibentur, quàm aliis eorundem Regum imaginibus, aliisve locis et temporibus: quin tamen inde nemo colligat eam venerationem in imagine sistere,

et ad Regem ipsum non referri. Ubi facilè observes, si comparatio fiat inter civilem imaginum Regis venerationem et religiosum imaginum Sanctorum cultum, ferè omnia, quæ contra hunc adduci solent, suâ sponte decidere *(ib.* 240 *F. G).*

§ III. Prioribus Ecclesiæ sæculis plura altaria in unâ ecclesiâ sæpè fuisse verisimillimum est; quamquam post Constantini pacem altarium multitudo facilè creverit, conversis in christianas ecclesias idolorum templis, quibus alia parva templa seu capellæ iungi solebant. Quòd verò in eâdem ecclesiâ plures Missæ eodem die celebrentur; quòd præter Missam solemnem, in qua pastor cum ovibus suis sacrificium offert, easque etiam verbo Dei pascit, aliæ Missæ minùs solemnes, seu ut dici solet *privatæ,* frequentes sint; et quòd sicut Missarum, sacerdotum etiam numerus multùm creverit, res novæ dicendæ non sunt: sed ex antiquâ christianorum fide, qua Missæ sacrificium Deo gratum, fidelium viventium sanctificationi, et mortuorum levamini utilissimum semper crediderunt, multiplicationem fidelium in iisdem populis erant necessariò consecuturæ (*ib. n.* 240 *H ad M*).

§ IV. Ex irruptione barbarorum in provincias Imperii, ex fervore pœnitentiæ, et ex aliis minimè improbandis principiis, monasteriorum atque sacerdotum, tam in ipsis monasteriis quàm extra ea, numerus augebatur; et inde etiam oriebatur consuetudo eleemosynam quamdam subministrandi sacerdoti, ut Missam peragat. Oratoria domestica ferè adeò antiqua sunt, ut Ecclesia ipsa; atque fidei et pietatis eas domus habitantium præclara testimonia. Sed et mos agendi præter diem dominicam quosdam alios dies festos in memoriam mysteriorum vitæ et mortis Domini, ac etiam in memoriam quorumdam Sanctorum, non solùm recens non est, sed à venerabili remotissimâ antiquitate procedit *(ib.* 240 *M ad P).*

§ V. Itaque dierum festorum, oratoriorum, Missarum, sacerdotum, altariumque multiplicatio, reliquiarum quas *sanctos baptizatos* appellamus cultus, et quarumdam imaginum præ aliis eiusdem Sancti frequentior veneratio, non solùm res improbandæ non sunt, sed ex

intimis nostræ fidei veritatibus, et antiquissimâ Ecclesiæ praxi suâ sponte nascuntur. Nihilominùs nemo sensatus ambigit, in has omnes consuetudines plerosque ab ignorantiâ et superstitione, et non rarò maximos abusus invehi; et facilè concederem præcipitem et indecoram Missæ celebrandæ, et indevotam ipsius audiendæ rationem, quam nimis sæpè in templis catholicis observamus, quasi nec sacerdotes ipsi mysteria crederent quæ conficiunt, maximum esse inter omnia quæ hac ætate Ecclesiam opprimunt scandalum *(ib. 240 Q ad V)*.

§ VI. Hos abusus catholici pii dolenter coram Deo lugere solent, et qui prudentiâ et charitate donantur, eorum nimis ardentem zelum æquè lugent, qui, prætextu abusus corrigendi, turbidos motus seu nova scandala excitant. Fidelium namque, quibus Ecclesiæ gubernatio credita non sit, ad abusuum conspectum officium est Deum enixè exorare, ut mentem eorum qui eos inducunt ad sensum Ecclesiæ dirigat: circa Ecclesiæ doctrinam de omnibus religiosis actibus accuratè instrui, et ab omni superstitione et abusu se se præcavere: et si quos fratres indubiis superstitionibus irretitos viderint, eos ex charitate fraternè corrigere, aut si opus fuerit de abusu vel superstitione vigente parochum seu episcopum certiorem reddere. Circa mores verò ecclesiarum, quas frequentant, non facilè abusus aut superstitionis notam imponere, neque suspicione duci, sed hoc iudicium Ecclesiæ præsulibus linquere; et præ oculis habere quasdam consuetudines summâ prudentiâ aut insigni charitate ab episcopis tolerari, quæ præcipiti iudicio omninò removendæ facilè viderentur. Itaque in Ecclesiâ circa actus Divini cultûs, indevotionis, superstitionis, aliorumque defectuum zizania tam in clericis quàm in laicis, quemadmodum in eorum quoque moribus, sicut semper hactenùs inventa sunt, ita nunc quoque inveniuntur. Qua generali observatione præmissâ, præsentem Ecclesiæ statum in quatuor mundi partibus obiter consideremus *(ib. n. 240 X ad Z)*.

§ VII. Age itaque à nostrâ Hispaniâ incipiamus, in qua nonnulla fausta occurrunt. In clero sæculari Antisti-

tum numerum sex novis episcopatibus recens erectis adauctum invenimus, atque in episcopis generatim constantem morum gravitatem, et in suis ecclesiis assiduitatem. Etiam à tempore pacti regis Ferdinandi cum Benedicto quarto decimo, circa commorationem cleri in ecclesiis cathedralibus, circa parochorum electionem, circa presbyteros sine congruis alimentis ordinatos et Ecclesiæ ministerio non destinatos, circa applicationem redditunm Ecclesiæ, aliosque disciplinæ articulos, plures antiquos abusus aut valdè temperatos, aut omninò sublatos conspicimus. In clero quoque regulari à dimidio sæculi decimi octavi maiorem à mundanis negotiis abstractionem, vividiorem propensionem ad utiliora studia, promptiorem in recipiendis episcoporum monitis aut statutis docilitatem, atque in obeundis ministeriis quibuslibet ad salutem animarum, et parochorum auxilium, ardentiorem zelum facilè observamus (*ib. n.* 241 *ad* 244).

§ VIII. Præterea frequentia certamina, interdum acerrima, quæ inter Ecclesiæ et Monarchiæ ministros ac iudices super ecclesiasticis immunitatibus excitari antea solebant, iam omninò quieverunt; atque Divina officia cæterique religionis actus maiori gravitate, remotis quibusdam lubricis aut superstitiosis consuetudinibus, passim celebrantur. Multa quidem mala supersunt, neque unquam deficient, in quorum remedio Ecclesiæ præsules laboraturi sint. Abusus extant circa instructionem et educationem candidatorum ad ministerium Ecclesiæ. Extant etiam in rebus ad Ecclesiæ gubernationem et Dei cultum pertinentibus. Extant abusus et vitia in hispani populi moribus publicis et privatis. At in his omnibus, qui rem æquâ lance libraverit, facilè deprehendet plures cessasse abusus à dimidio sæculi decimi octavi; plura in meliorem formam in Hispaniâ fuisse redacta; atque mala quæ Hispania nostra in rebus Ecclesiæ et morum patitur, similibus malis quæ hac ætate alias regiones opprimunt esse minùs acerba (*ib. n.* 244 *ad* 249).

§ IX. Nihilominùs monstrum quoddam in ipsius Hispaniæ visceribus vires maximas sumens, et ingentes ei

strages minitans, observatur. *Luxum* intelligo, et hoc nomine profusam impensam in domesticâ supellectili, in cibis, vestitu, et omnibus quæ hominum necessitati aut commoditati inserviunt. Hic enim luxus turpi luxuriæ, seu morum corruptioni, quàm maximè proximus sedet. Imò quando privatorum hominum peculium luxu facilè exhauritur, sceleribus iterum impleri solet; præcipuè in monarchijs, ubi magnus est hominum numerus publico stipendio viventium, quod luxu crescente, statim insufficiens muneris seu officii decori videtur. Luxum, ut privatas domus, respublicas etiam in ruinam præcipitare nimis certum est. Et quamquam ex publicis calamitatibus pestis huius remedium nasci soleat, ut ineunte sæculo decimo octavo Hispania feliciter experta fuit; nunc tamen grassantem in rebus magis superfluis luxum seu profusam impensam adhuc cernimus post longum infelixque bellum, post pestem, terræmotus, raramque frumenti inopiam, post diras inquam calamitates, quæ prioribus hisce quinque præsentis sæculi annis omnes ferè Hispaniæ provincias miserè afflixerunt, et aliquas depopularunt. Luxum adhuc grassantem cernimus, quando ærarium publicum sumptibus reipublicæ magis necessariis non sufficit, atque in quibusdam provinciis artifices, agricolæ, negotiatores, aliæque civium classes utilissimæ inopiâ pereunt. Tam effrenem luxum quando cum nostris Americæ coloniis omne commercium bello impeditum est: quando ecclesiarum prædia, ut eorum pretio reipublicæ sumptibus subveniri possit, veneunt, aut potiùs iam ferè non veneunt, quoniam deficiente in regno pecuniâ emptores deficiunt: hunc luxum inquam, quando etiam in conspectu summæ inopiæ, adhuc ferè ubique, præcipuè in Matritensi Regiâ urbe dominantem video, eius futuros effectus prospicere nequeo, quin stupore et terrore concussus animus concidat. Et de Hispaniâ satis dicta sint. Lusitanam verò ecclesiam in præsenti rerum statu esse Hispanæ simillimam, monuisse sufficiat. Ad Gallicanam accedamus *(ib. n.* 250 *ad* 252 *).*

§ X. In Franciâ post Ludovici quarti decimi mor-

tem, dum sævissima super constitutione *Unigenitus* mota bella catholicos occupabant, innumeri libri christianæ religioni infensissimi ab incredulis assiduè edebantur; atque tolerantiæ et religionis adeò offuscabantur notiones, ut ad æternam salutem quamlibet in Christum Salvatorem fidem, etsi mille erroribus sociatam, imò quemlibet cultum Dei, etsi secundùm Mahometi aut paganorum superstitiones, sufficere plures blasphemarent: libertatis verò nomine Monarchiæ odium, et democratici regiminis introductionem, seu potiùs effrenem quodlibet opinandi, dicendi ac scribendi licentiam significari vellent. Hinc ecclesiasticarum legum ieiunii, audiendi Missam, cæterarumque similium maximus contemptus: mores publici ab omni modestiæ et religionis freno penitùs soluti; imò, quod maximè dolendum erat, in quibusdam præcipuis Ecclesiæ ministris minùs compositi. Demum post annum sæculi octogesimum viro nobilissimo ad dignitatem *Cardinalitiam* evecto, ob fœdissimum facinus in carcerem misso et in iudicium vocato, ipsius et complicium accusatio et defensio, totaque causa vulgata est, et summo cum dignitatis et conditionis ipsius, imò et Regiæ familiæ contemptu, ab ipsâ etiam infimâ plebe legebatur et expendebatur *(ib. n.* 253 *ad* 255*)*.

§ XI. Interea cùm luxus seu profusio impensarum omnes regni classes occupasset, monarchiæ redditus nec annuis quidem sumptibus sufficiebant; cùm tamen etiam ad extraordinaria belli onera, et ad usuras pecuniæ annis præcedentibus mutuo acceptæ ingens pecunia quærenda esset. Hæ sunt præcipuè causæ, ex quibus ea in Franciâ rerum omnium subversio et perturbatio nata est, qua incredibili celeritate antiqua eius monarchia corruit; atque dum maxima francorum pars catholica erat, dumque vocem populi legem supremam esse omnes gloriabantur, Ecclesia catholica tam immaniter oppressa est, ut super ipsius rudera incredulitatis solium erectum esse aliquando visum fuerit. Tanti casûs historiam obiter memoremus (*ib. n.* 255 *et* 256).

§ XII. Cùm Senatus seu *Parlamentum* Parisiense edicta regia, vel leges de exigendis novis tributis seu vec-

tigalibus quæ regii administri ad belli sumptus omninò necessaria iudicabant, probare nollet, conventus *Notabilium Regni virorum* cogebatur, et postea novus creabatur Senatus sub nomine *Curiæ Plenariæ*, ut de mediis colligendæ pecuniæ ad sumptus regni necessarios providerent. Re tamen infectâ uterque dissolvebatur. Inde ad rem tanti momenti mense iunio anni octogesimi noni totius regni comitia, seu, ut dici solet, *trium Ordinum conventus* aut *Status generales regni*, congregabantur. Interea Gallicanæ ecclesiæ bona necessariis regni sumptibus applicanda esse increduli et hæretici solito vehementiùs clamabant, eorumque votis etiam catholici plures ad speciem politici accedebant. Omnes ad expilandam ecclesiam eam reformandi ostendebant desiderium: illi verò destruere moliebantur. Initio mensis augusti ordines Cleri et Nobilium suis omnibus privilegiis, pluribusque iuribus in obsequium *tertii statûs* se se abdicabant. Conventus ipse decimarum solutionem pretio redimi posse primùm declarabat, statim verò omninò tollebat. Atque ante ipsius anni finem omnia ecclesiarum bona urgentibus regni necessitatibus destinabat, ecclesiasticis viris modicas pensiones assignans (*ib. n.* 257 *ad* 260).

§ XIII. Anno nonagesimo religiosos Ordines omnes in regno extingui, et monastica vota aboleri Conventus iubebat; atque famosa *cleri Constitutio civilis* publicabatur. Hanc boni quidam ecclesiastici viri etsi iure improbandam, tolerandam tamen ad maiora vitanda mala existimabant; alii verò intolerabilem et omninò detestandam. Plures eâ de re summum Pontificem interrogabant, qui multa *Constitutionis* capita probari non posse respondebat. Initio anni nonagesimi primi ecclesiastici viri qui regni Conventui intererant, decreto à Rege ipso sancito, ad *Constitutionis* observantiam iurandam, etiam coram vilissimâ plebe *iuramentum* vel *necem* ferociter clamante, singulatim vocabantur; et ferè omnes, qui ducenti et amplius erant, constantissimè iuramentum recusarunt. Tunc ecclesiasticos totius Franciæ qui hoc iuramento se obstringere nollent, suis omnibus officiis privatos Conventus declarabat, aliosque qui iurassent in eorum lo-

cum substitui iubebat: unde parochi aliique sacerdotes ad plura millia dirè oppressi fuere. Quæ persecutio præcipuè contra episcopos et parochos multùm sæviebat, simul ac in locum non iurantium alii eligebantur, et sæpè invitis populis se intrudebant *(ib. n.* 261 *ad* 267 *)*.

§ XIV. Eodem anno nonagesimo primo, Rege Varennis detento, priorique Conventui, quem *constituentem* appellarunt, secundo sub nomine *legislativi* substituto, è clero exigebatur novum iuramentum, quod *civicum* vocabant; et initio anni sequentis pœnâ exilii seu deportationis extra Franciam non iurantibus aut iuramentum primum vel hoc secundum retractantibus infligebatur: imò ingens sacerdotum numerus diversis in Franciæ urbibus ob recusatum iuramentum mense iulio interfecti sunt. Augusto mense, ex quo Rex cum suâ familiâ in domo quam vocant *Templum* clausus fuit, bellum in ecclesiasticos, præcipuè in eos religiosos et moniales qui illactenùs in suis monasteriis permanserant, multùm sæviebat. A die verò secundâ septembris inter plura francorum millia in ipsis Parisiorum vicis seu plateis, incredibili ferocitate, quoniam Regi addicti credebantur, trucidatorum, quatuor etiam episcopi, et alii plus quàm ducenti viri ecclesiastici numerandi sunt, quorum plurimi scientiæ et virtutis singulari famâ celebres; et nulli de alio crimine accusabantur, quàm quòd iuramentum civicum dicere se non posse crederent *(ib. n.* 268 *ad* 270 *)*.

§ XV. Eodem mense septembri anni nonagesimi secundi tertius Conventus cogebatur, qui *Conventio nationalis* vocari voluit, quique Regem initio anni sequentis morti addicebat. Inde verò impiorum manus, qui in *Conventione* prævalebant, tribunal quoddam perturbatorum erigebant Parisiis, et *revolutionarium* vocabant, sub cuius directione ferè centum et quinquaginta alia in provinciis constituebantur: quorum omnium iudices incredibili tyrannide ferè per triennium totam Franciam terrentes, plura francorum centena millia decollabant. Ab anno nonagesimo tertio omnia quæ christianam religionem indicabant, etiam calendarium et hebdomadam seu septem dierum circulum immutare, novamque idololatriam

seu rationis cultum inducere volebant. Robespierre autem, ferocissimum incredulitatis monstrum, ut novum sibi suspectos viros interficiendi haberet arbitrium, declaravit tribunal *revolutionarium* in atheos agere posse, et Francorum populum Ens supremum, animæque immortalitatem agnoscere. Tandem verò monstrum istud in patibulo peribat; et anno nonagesimo quinto, *Conventione nationali* cessante, nova gubernatio sub duobus senatibus et quinque Directoribus incipiebat *(ib. n. 271 ad 275)*.

§ XVI. Quamquam verò immanior ecclesiæ Gallicanæ persecutio annis nonagesimo tertio et quarto sub *Conventione nationali* fuerit, religio tamen catholica libertate, quam omni religioni dabant leges Reipublicæ, non gaudebat, donec post quadriennium cessabat etiam Directorii administratio *(ib. n. 276)*.

§ XVII. Itaque anno nonagesimo nono Reipublicæ deficere vires exercituum, atque administrationem iustitiæ et æris publici, omnes franci querebantur: mutandæ *Constitutionis* tunc vigentis desiderium Parisiis apertè prodebatur; atque vox ferè communis inter viros doctos ac prudentes iam tunc erat, necessarium esse tantæ Reipublicæ virum aliquem præcellentem constitui ut caput aut centrum, in quo totius populi vires unirentur, et à quo dirigerentur opportunè. In hoc rerum statu Alexander Bonaparte, qui passim *Napoleo* appellatur, Parisios ab Ægipto inopinatò accedit: omnium oculos ad se convertit: de præclaris illius gestis nemo non loquitur; atque viri sensati tranquillitatis publicæ amantes facilè secum invicem conveniunt Napoleonem esse virum idoneum Reipublicæ ab imminente casu liberandæ, eiusque viribus reficiendis. Atque hinc faustissima rerum conversio, novaque Reipublicæ constitutio sub nomine mensis *brumarii* anni octavi orta est, qua tribus Consulibus et senatui Reipublicæ gubernatio tradebatur; ita tamen ut rerum summa ad primum Consulem, quem Napoleonem esse declarabant, rediret. Hæc mense decembri anni nonagesimi noni Parisiis agebantur. Et cum adeò mirabili civilis gubernationis mutatione novus

etiam ordo in rebus ecclesiasticis Franciæ tunc incipiebat *(ib. n. 277)*

§ XVIII. Gallicanam ecclesiam non modò incredulorum barbara persecutio vexaverat, sed intestinum quoque bellum affligebat ex cleri *Constitutione civilis* motum, nempè inter *constitutionales* episcopos et parochos qui plurimi iam tunc erant, et antiquos alios, qui ferè omnes persecutionis tempore è Franciâ migraverant, plures autem aut redierant aut redire cogitabant. Napoleo non solùm Ecclesiæ ab incredulis vindicandæ, sed etiam belli seu schismatis inter ecclesiasticos catholicos extinguendi conatum multis modis ostendebat. Rem tamen perfecit celeberrimo pacto cum Pio septimo anno primo sæculi præsentis inito, quod constitutione quæ incipit *Ecclesia Christi* approbavit summus Pontifex. Statim verò Pius cardinalem Caprara ut Legatum *à latere* Parisios mittebat. Cùmque aliâ constitutione antiquos Franciæ episcopatus suppressisset, decemque metropolitanas et quinquaginta *suffraganeas* cathedrales ecclesias erexisset; Legato suo facultatem concessit, ut novarum diœcesium limites assignaret, atque ut novis episcopis, à primo Consule nominandis, institutionem canonicam concedere posset *(ib. n. 278 ad 284)*.

§ XIX. Cardinalis legatus ut primùm Franciam ingressus est, ubique magno honore accipiebatur, et simul ac Parisios pervenit, non modò eum viri summis honoribus functi invisebant, sed supremus etiam administrandæ iustitiæ Senatus delectum magistratuum suorum numerum ad ipsum mittebat, quorum ore sinceram pro instauratâ inter Franciæ gubernium et sedem Apostolicam felici concordiâ lætitiam, atque maximam erga romanum Pontificem, eiusque Legatum venerationem et obsequium protestabatur. Qua die Napoleo primam audientiam Legato publicè tribuebat, Legatus è domo suâ ad palatium magno militum aliorumque insignium francorum comitatu ducebatur; cruce etiam, ut legatos Pontificios solet, præcedente: et coram tribus Consulibus, adstantibus administris et consiliariis publicis, primum Consulem nomine summi Pontificis alloquebatur,

de instauratâ in Franciâ religione catholicâ gratulatus, atque legationis suæ munera, non nisi dum ipsi primo Consuli placuerit, obire promittens. Napoleo Cardinali respondens maxima ex eius legatione reipublicæ Franciæ et religioni christianæ bona, plaudentibus etiam veris philosophis et humani generis amicis, futura augurabatur (*ib. n.* 284 *ad* 290).

§ XX. Decretum novos episcopatuum terminos designans Legatus initio aprilis anni millesimi octingentesimi secundi publicabat: annua festa, quibus ab operibus servilibus cessandum sit, ad quatuor dies præter dominicas reduxit; atque fideles ad pœnitentiam peccatorum et ad gratias Deo agendas pro beneficiis acceptis exhortatus, *plenariam* indulgentiam in formâ iubilæi concessit, quam per triginta dies fideles omnes totius Franciæ more solito consequi valerent. Tunc ipsâ die Paschatis Resurrectionis Domini Napoleo ad ecclesiam metropolitanam magnâ pompâ accedebat: ibique Missam celebrante Cardinali Legato, et hymnum *Te Deum* duobus magnis musicorum choris canentibus, ob restitutam Franciæ pacem non solùm civilem cum exteris, quæ mense martio inita fuerat, sed præcipuè religiosam inter ipsos cives, Deo gratiæ actæ sunt. Inde verò dies Dominica ad requiem tribunalium omnium Reipublicæ designata, eâdemque die matrimoniorum proclamationes fieri iussum est. Romanus Pontifex ante Ascensionis Domini diem convocato Consistorio tam felicis in Franciâ rerum conversionis Cardinales certiores cum plausu reddebat, Deumque ut tantum opus perficeret, orabat: ipso verò Ascensionis die hymno *Te Deum* publicè cantato, pro restitutâ in Franciâ religione catholicâ Deo gratias agebat (*ib. n.* 291 *ad* 300).

§ XXI. Post restitutam pacem, francorum omnium erga Napoleonem amor et respectus in dies augeri videbantur. Ipse verò factiones quæ Rempublicam diviseraut omninò extinguere, turbidos viros compescere, eos autem qui scientiâ aut virtute noti erant, cuiuscumque factionis fuissent, ad se trahere, agriculturam, artes et præcipuè rerum nauticarum scientiam fovere, summâ diligentiâ et indefesso labore nitebatur. Statim mense

maio sub nomine *Legionis honoratæ* novum corpus creabat, ut militiæ, scientiarum, et cuiuslibet classis singularia erga Rempublicam merita honorare posset: in quo nobilium ordinem exsuscitare, et novæ Monarchiæ fundamenta iacere pluribus visus est. Paulò post, Napoleonis consulatum toto vitæ suæ tempore duraturum senatusconsulto decernebatur (*ib. n.* 300 *A. B*).

§ XXII. Cùm verò anno sequenti novum in Franciam bellum Anglia cieret, quod esse debere perpetuum plures angli tuebantur, ne classem anglicæ parem beneficio pacis ædificare et instruere unquam posset; is invalescere in Franciâ metus cœpit, ne scilicet adveniente Napoleonis morte super primi Consulis electione facilè ab anglis turbidi motus in Franciâ moverentur, quibus Reipublicæ vires omninò decrescerent. Atque hinc dignitatem Imperialem creandi, eamque Napoleoni et eius progeniei addicendi idea tunc nasci et simul adolevisse visa est. Eam Senatus mense maio anni quarti præsentis sæculi populis proponebat, quorum plausu dignitas Imperialis pro Napoleonis progenie ante finem anni lege publicâ sanciebatur (*ib. n.* 300 *B*).

§ XXIII. Napoleo romano Pontifici Pio septimo exposuerat se valdè peroptare, ut sua Sanctitas Parisios accederet, ipsum solemniter Imperatorem coronaturus: qua occasione de religione catholicâ in Franciâ omninò instaurandâ ambo opportunè agerent. Et quamquam non contemnenda obstacula summo Pontifici occurrerent, omnia tamen Napoleo ita superabat, ut Pius cum Cardinalibus de causis itineris sæpiùs agens, illud tandem aggrederetur. Napoleo obviam Pontifici occurrit; et secundâ die decembris magnificentissimo apparatu in ecclesiâ metropolitanâ Parisiensi à Romano Pontifice Imperatoris Francorum coronatio celebratur. In quo festo franci catholici meritò sibi congratulabantur, quasi solemni religionis Romanæ triumpho, quo tot criminum et scandalorum memoria, quibus impietas paucos ante annos eam ipsam ecclesiam, cæterasque totius Imperii profanaverat, omninò deleretur (*ib. n.* 300 *C ad F*).

§ XXIV. Dum Pontifex in Franciâ permansit, is

sæpè et Imperator se mutuò invisebant, et amicè colloquebantur. Parisiis, Lugduni, ac per universam Franciam singularia amoris et reverentiæ testimonia ab omnibus Pontifex recipiebat, et accedente vere cùm è Parisiis egressus fuisset, Romam decimâ sextâ die maii perveniebat, et paulò post Consistorium, ut de itinere suo ad Cardinales referret, celebrabat. Tunc illis exponebat quàm singularibus religionis ac pietatis signis à legatis Imperatoris receptus fuerit, mox ut Augustam Taurinorum seu Reipublicæ terminos attigit, ac deinde à magistratibus, militibus, omnique populo urbium quas præteribat: quantâ cordis sui exultatione religionem catholicam in Franciâ reflorescentem conspexerit: quantâ hilaritudine, comitate, benevolentiâ, animique propensione Imperator accipiebat quæcumque sua Sanctitas pro religionis bono, Gallicanæ ecclesiæ splendore, ac sanctæ Sedis auctoritate, libertate apostolicâ peteret: qua consolatione quorumdam episcoporum, de quorum sensibus sollicitus erat, sinceram esse novit reconciliationem: quàm copiosos fructus ex hoc itinere iam collegerat; et in quàm firmâ spe erat, ecclesiam Gallicanam sensim et gradatim convalescentem, pristinum vigorem formamque recuperaturam. Totius cleri Gallicani, ac præcipuè episcoporum, zelum, amorem, vigilantiam et laborem, quibus gregem sibi commissum pascunt, sua Sanctitas mirificè commendabat. Ac demum reconciliationem famosi Scipionis Ricci, olim episcopi Pistoriensis, cum sede Apostolicâ, sinceramque illius conversionem enarrabat. *(ib. n. 300 F ad I).*

§ XXV. Hoc iter Pii septimi per Franciam una est ex efficacioribus rationibus quibus religionem catholicam in illius Imperii provinciis instaurare Divina disposuerat providentia. Atque iam tum quem locum antea occupaverat, religionem citiùs in multis recuperasse cernimus. Imperatore iubente, publicæ ad Deum preces funduntur pro felici belli exitu, et pro victoriis solemnes Deo gratiæ aguntur. Templa sancti Dionysii et sanctæ Genovevæ, aliaque tum Parisiis, tum per totam Franciam reparantur. In memoriam instauratæ in eo Imperio religionis ca-

tholicæ novum festum instituitur. Matrimonia catholicorum iam eâ ratione in Franciâ celebrantur, ut leges ecclesiasticæ accuratè serventur. Officia sepulturæ, ut pietas christiana exigit, sub episcoporum directione fiunt. Catechismus catholicus à Legato Pontificis approbatus, ad usum totius Imperii episcopis proponitur. Nonnullæ religiosæ familiæ Imperiali decreto instauratæ iam sunt. In lege civiles et militares honores præscribente, primum caput est ut milites, dum ante ipsos sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad infirmos delatum pertransit, arma offerant et genua flectant, cæteraque cultûs testimonia, præcipuè in publicis supplicationibus solemnibus, antiquo Galliæ more præstent. Etiam cardinales, archiepiscopi et episcopi singularibus honoribus civilibus et militaribus digni declarantur. Ad cleri catholici educationem seminaria in omnibus diœcesibus erigi statuitur, et minimè parvus clericorum numerus ære publico in iis alendus decernitur. Atque iis et similibus Imperialibus decretis sibi passim succedentibus, horrenda vulnera ab irreligione et incredulitate, eo brevi tempore quo Franciam tyrannicè opprimebant, religioni catholicæ inflicta, iam nunc obligata et ferè clausa conspicimus, omninò verò sananda brevi tempore speramus. Et hæc de Gallicanâ ecclesiâ *(ib. n.* 300 *K ad P).*

CAPUT VIII.

Status Ecclesiæ in aliis regionibus christianis Europæ.

Status Ecclesiæ in Helvetiâ 1 *: in Italiâ* 2 *: in Germaniâ* 3, *cuius imperium dissolvitur* 4*: in regnis Wirtembergiæ, et Saxoniæ* 5 *: in Poloniâ* 6 *: in Prussiâ seu Borussiâ* 7 *: in Flandriâ* 8 *: in regno Hollandiæ* 9 *: in regno*

unito Angliæ 10 ; *ubi quæstio de emancipandis catholicis* 11 *gravissimè agitatur* 12 : *in Daniâ et Sueciâ* 13 : *et in Russiâ* 14, *ubi Societas Iesu restituta est* 15, *et spes tollendi schismatis non omninò periit* 16.

§ I. Si Helvetiæ nomine non tantùm antiquos Helvetiorum conventus, pagos seu *cantones*, sed alias quoque urbes aut parvas respublicas Helvetiis subditas, vel in fœdere socias comprehendamus ; fortè non multùm à vero aberrabimus, si duo millia millium hominum in eo rerumpublicarum fœderatarum corpore contineri, et in catholicorum et *acatholicorum* æquales ferè partes dividi credamus. Initio præsentis sæculi Helvetiorum civilis gubernatio quamdam mutationem subiit, et illæ omnes respublicæ in unum corpus ita fœderatum coëunt, ut negotia in annuo cœtu decernantur, et executioni mandentur ab uno præside ad certum tempus ex ipsis rebuspublicis fœderatis assumpto. Interea apud Helvetios, sicut in Germaniâ totâ, et ferè in omnibus borealibus regionibus mutua civilis tolerantia inter christianos diversæ religionis multùm invalescit ; atque diversorum cœtuum christiani eiusdem urbis cives à mutuis antiquis odiis et inimicitiis ad amorem quemdam et mutuam benevolentiam revocantur ; quam morum conversionem saltem in Helvetiâ catholicis utilissimam fore sperandum est. Tigurina respublica, reformationis mater et vindex præcipua in ipso Tigure religionem catholicam publicè exerceri anno huius sæculi septimo lege latâ permisit. (*Lib. XVI. n.* 301).

§ II. Per totam Italiam religio catholica in omnibus populis ferè communis et ita dominans est, ut cæteras professi facilè tolerentur. Romæ labente sæculo decimo octavo singularis sanctitatis fama floruit quidam mendicus Iosephus nomine, gente gallus : post cuius mortem in eius sepulcro quædam contigerunt portenta, quæ dum primò rideret, et postea ut criticus examinaret americanus quidam viator, et ipse non catholicus, qui Romæ tunc fortè aderat, iis adeò commotus fuit, ut

catholicis dogmatibus, quæ magis antea detestabatur; accuratiùs expensis, tandem *protestantium* erroribus abiuratis, ad ecclesiam Romanam publicè accederet. Sed quamquam ingens in Italiâ foret fidelium sincerâ pietate viventium numerus, tamen iam toto ferè sæculo decimo octavo in frequentioribus Italiæ urbibus, legum et morum christianorum contemptum, fucatæ philosophiæ scita incredulitatem redolentia, *liberorum muratorum* latebras quas *loggias* appellant, ubi cœtus agunt, eorumque qui *spiritus fortes* vocari amabant numerum nimis augeri; in clero autem sæculari et regulari morum gravitatem et mundani fastûs luxûsque fugam sæpè desiderari, imò in festis Ecclesiæ, quod ornatum, luminum copiam et choros musicos spectat, adstantium oblectamento, magis quàm veræ devotioni non raròindulgeri catholici pii cum dolore cernebant, et lamentabantur. Hæ scandala, quorum pleraque ex inconsultâ pietate solùm nascebantur, alia ultimis eiusdem sæculi annis consecuta sunt ex impietate facilè orta, quæ plures Italiæ ecclesias earumque sacerdotes ad extremam inopiam reduxere. Faxit Deus ut in tot ecclesiis quas calamitatum igne probavit atque purgavit, paupertatis amor, humilitas cordis, mundi contemptus, cæteræque christianæ virtutes maximè floreant. Italiæ status civilis multùm hisce annis immutatus est; et inde quædam quoque in ecclesiarum administratione mutationes consequebantur, ut festorum dierum imminutio in Genuensi provinciâ, in Beneventano principatu religiosarum familiarum suppressio, atque in regnis Italico et Neapolitano cleri sæcularis et regularis diminutio (*ib. n.* 302 *et* 303).

§ III. Ad Germanicum Imperium quod attinet, in provinciis quæ potentissimis Austriæ Principibus subiacent frequens tempore imperatoris Iosephi secundi in rebus Ecclesiæ mutatio erat, ac imminens inter aulam Viennensem et Romanam dissidium, quod Pius sextus itinere Viennensi præcavebat. Et quamquam imperator Iosephus postea Romam proficiscebatur, et cum Pio attentè comiterque se gerebat, eorum tamen opinationem induisse videtur, qui ad *protestantes* ad gremium Ecclesiæ alli-

ciendos, atque ad præcavendum ne religionis prætextu publica perturbaretur tranquillitas, opportunum fore in Germaniâ putant civilem erga non catholicos tolerantiam ampliùs extendi, nullam in rebus temporalibus imperio subditorum subiectionem exteris permitti, atque usum auctoritatis episcopalis in pluribus ex his quæ sanctæ Sedi reservata nunc sunt, instaurari *(ib. n.* 304 *ad* 306*).*

§ IV. Erat Imperium Germaniæ antiquissimum corpus ex ducentis et amplius dominis, ditiones seu *status* suos potestate supremâ regentibus, sub uno duce seu imperatore fœderatis, coalescens. Horum dominorum magna pars ecclesiastici viri erant, et de iis dominiis in principatus laicos convertendis iam olim, præcipuè temporibus Benedicti quarti decimi, actum fuerat. Cæterùm ex bellis rerum in Franciâ subversionem consecutis, Imperium Germanicum dissolutum est, novumque corpus sub nomine *Confœderationis Rheni* anno sexto præsentis sæculi nascebatur, in quo diversi Germaniæ *status* fœdere iungebantur, aliisque admittendis relinquebatur aditus. Huius confœderationis caput sub nomine *Protectoris* Imperator ipse Francorum constituitur: *Dietarum* verò seu conventuum præses archiepiscopus Ratisbonæ, qui *Princeps Primas* vocandus est (*ib. n.* 307 *et* 308).

§ V. Antea in quibusdam Imperii Germanici *statibus* aut catholica religio, aut lutherana, aut reformata, singulari gubernii protectione gaudebat, et dominans passim vocabatur, atque longè diversa in diversis *statibus* religionum non protectarum civilis tolerantia. Nunc verò mos iste invaluit ut iura civilia, seu officiorum militiæ et administrationis reipublicæ obtinendorum facultas, omnibus qui ad tres istas religiones pertinent, earumque publicum exercitium facilè ubique concedantur: quæ mutatio hactenùs catholicis utilissima fuit, quippe qui in vastis Saxoniæ et Wirtembergiæ regnis pluribus facultatibus quibus antea privabantur, et regiâ protectione æquè potiuntur ac ii qui religionem dominantem profitentur. Hæc et alia persuadent præsente rerum civilium in Germaniâ conversione, antiquum *protestantium* odium in catholicos, et falsissimum quod ipsis instillatum

est de potestate romani Pontificis præiudicium, dissolvenda esse, atque *protestantium* ad Ecclesiæ unitatem accessum faciliorem reddendum *(ib. n.* 308*)*.

§ VI. In Poloniâ religio catholica dominans permanserat: et protestantes quos *dissidentes*, et græci schismatici quos *non unitos* vocabant, quique magno numero erant, catholicis æquari in munerum et honorum participatione contendebant; atque ad id Russiæ, Prussiæ aliorumque Principum protectionem implorabant. Inde commotiones populares et bella civilia nascebantur; et statim quarumdam provinciarum Poloniæ et postea totius regni inter Russiam, Prussiam et Austriam consequebatur distributio. Hæc ab anno sexagesimo septimo ad nonagesimum septimum sæculi decimi octavi contingebant. Deinde anno præsentis sæculi septimo in tractatu pacis ab Imperatore Russiæ, et Rege Prussiæ, Francorumque Imperatore inito apud urbem Tilsitanam in ipsâ Poloniâ, magna huius regionis pars sub nomine Ducatûs Varsoviæ Regi Saxonum, qui catholicus est, subiiciebatur; et nova huius Ducatûs constitutio religionem catholicam esse religionem *statûs* declarabat, aliis tamen publicè permissis *(ib. n.* 309 *et* 310*)*.

§ VII. Ducatus Varsoviæ ad Regem Prussiæ à tempore divisionis regni Poloniæ pertinebat. Cùm autem Imperator Francorum rapidis cum suo exercitu itineribus et victoriis totum ferè regnum Prussiæ, totumque hunc Ducatum occupasset, Rex in pace Tilsitanâ huic Ducatui, et quibusdam regni sui tractibus renuntiavit. In toto regno Prussiæ lutherana secta iam diu dominabatur, et catholica religio erat facilè tolerata. Nihilominùs ante ultimum bellum, ut populus in francos alacer pugnaret, priorem illum à Luthero excitatum in catholicos furorem, per totam Prussiam iterum accendere conabantur plures; atque ad id in laudem Lutheri contra romanum Pontificem et catholicos furentis, drama heroicum magno populi plausu Berolini ad multum temporis tunc quotidie repræsentabatur. Neque inde Pruthени populi in catholicos odium iterum inflammandum esse pertimescere debemus; imò sperare, ut pacatis belli motibus, ipsius furiosi

dramatis memoriâ facilè observetur Lutheri genium seu spiritum ab humilitate, patientiâ et mansuetudine christianis, seu à spiritu Christi et Evangelii fuisse alienissimum : ex quo et multis aliis sperare licet, etiam apud Pruthenos catholicæ religionis exercitium faciliùs quàm antea liberum et publicum exinde futurum esse (*ib. n.* 311).

§ VIII. Belgium, quod hispanum aut austriacum, necnon Flandria vocatum fuerat, reipublicæ seu Imperio Franciæ his ultimis annis unitum est. Ante rerum in Franciâ mutationem Imperatori Austriæ subiiciebatur; et cùm Iosephus secundus quædam præcipuè in ecclesiasticis studiis, et etiam in disciplinâ Ecclesiæ immutare vellet, populus id ægrè ferebat; et hinc falsæ libertatis pestis iam ab initio perturbationis Franciæ celeriùs per eas provincias grassabatur. Unde Ecclesia, sicut in Franciâ, in Flandriâ quoque multa mala in ministris, templis, bonis, moribusque religiosis passa est. Nunc autem Flandriæ ecclesia, utpote Gallicanæ pars, similia ac ista mala patitur similibusque bonis consolatur et erigitur (*ib. n.* 312).

§ IX. In alterâ parte antiqui Belgii, quod Belgium fœderatum, Batavia, seu Hollandia dicitur, nempè in iis provinciis quæ à religione catholicâ et monarchiâ Hispaniæ deficientes in novam Rempublicam coierunt, catholica religio tolerata mansit; et quamvis catholici viri nullum in administratione reipublicæ munus obire, militiæ tamen honoribus, nisi summis, fungi poterant. Initio sæculi decimi octavi occasione *Iansenismi* atrox dissidium inter catholicos Belgii fœderati motum est; et in ecclesiis Ultraiectinâ, Harlemensi, et Deventeriensi, renuentibus romanis Pontificibus, episcopi constituebantur. Tantum verò dissidium Reipublicæ tempore natum, iam ferè deficientibus *ianseniance* factionis hominibus sopitum erat; cùm Hollandia è republicâ facta est monarchia, et Ludovicus Napoleonis Francorum Imperatoris frater, anno præsentis sæculi sexto, illius Rex constitutus. Et cùm novâ regni constitutione ad munera, tum civilia tum militaria, catholici æquè ac religionis refor-

matæ viri apti sint; non tantùm in hoc catholicorum sors melior facta est, sed etiam aliunde, quoniam Rex, totaque eius domus, catholicam religionem publicè profitetur, eiusque se se protectorem declarat (*ib. n.* 313).

§ X. In Angliâ, postquam ab eius regni throno exclusi fuerunt catholici, sæva aliqua in catholicos persecutio à supremâ potestate nusquam mota est: imò plebis in catholicos motus, ut ille quem Gordonus circa annum octogesimum sæculi decimi octavi excitabat, à potestate publicâ compressi sunt. In Hiberniâ seu Irlandiâ quatuor archiepiscopi atque unus et viginti episcopi catholici numerantur, quos Benedictus quartus decimus vehementer hortabatur ut in suâ quisque diœcesi resideret. Sacerdotum quoque sufficiens numerus esse videtur, et catholici longè plures abs dubio in eâ insulâ sunt, quàm cæteri omnes acatholici. Etiam in Britanniâ maiori ingens est catholicorum numerus; et in ipso Londino et aliis nonnullis urbibus episcopi catholici sunt, qui ut Vicarii apostolici ecclesias illas regunt, atque Divina officia celebrare, et omnia quæ ad religionem catholicam necessaria sunt exercere sine ullâ molestiâ possunt. Nihilominùs muneribus civilibus et militaribus catholici privantur, et solùm in Irlandiâ ad nonnullos militiæ gradus statutis conditionibus à Rege assumi possunt; atque aliis in rebus cùm magnam civitatis partem componant, à privilegiis seu iuribus civium excluduntur (*ib. n.* 314 *et* 315).

§ XI. Hinc sæpè Hiberni catholici aliis anglis in civitate æquari à Rege regnique Senatu postularunt: idque magnâ fiduciâ anno præsentis sæculi quinto, postquam senatus et regnum Hiberniæ senatui regnoque maioris Britanniæ unita sunt. Quamquam verò præcipui Regni administri catholicorum causæ patrocinarentur, Rex tamen qui catholicis aliàs in multis favit, contra ipsos stetit, et negata eorum petitio fuit. Imò cùm regii administri unanimes anno septimo opinarentur, toti reipublicæ maximè convenire, ut catholici omnes tam Irlandiæ quàm Angliæ, et illi quoque, qui cùm nec catholici nec

anglicanæ religionis sint, *dissidentes* vocari solent, ad militiæ munera vel suprema ascendere possent, atque de eo apud Senatum agi proposuissent, administros omnes officia sua abdicare passus est Rex, et præsentem Senatum dissolvi, novumque cogi iussit, ut ab illo negotio cessaretur (*ib. n.* 316).

§ XII. Tanti momenti facta est apud anglos quæstio politica, an catholicos omninò liberos constitui conducat. In qua negandum non est Regem aliosque plures, qui cum ipso sentiunt, non odio in catholicos duci, sed rationibus quibusdam ex prudentiâ politicâ sumptis, quas tamen si accuratè expendant, nullius esse roboris sensati viri deprehendent. Et quidem iuramenti, quo Regis conscientia ut ferunt alligata est, frangendi metus, duplici ex capite facilè solvitur. Nam primò hoc iuramentum non hactenùs Angliæ Regibus impedimento fuit magis vel minùs severè cum catholicis egisse, prout civili regni bono opportunum iudicaverint. Unde si ad civile Angliæ bonum nunc oportere censeretur catholicos ad omnia tam civilia quàm militaria munera obeunda habiles declarari, non ideò iurata protectio religionis anglicanæ deficeret, quæ in eo præcipuè sita est, quòd ipsa sit regni seu *status* religio, quam Rex profiteatur, et cuius solius officia aut obsequia à republicâ remuneranda sunt. Deinde quocumque modo illius iuramenti obligatio intelligatur, abs dubio cessat, si legitimâ ratione, seu secundùm constitutionem regni, nempè Senatu rem examinante et decernente, Regeque postea probante, ea tollitur lex, cuius observantia iurata fuerat. Id autem est quod catholici Hiberniæ efflagitant. Præterea quæ ex bonis temporalibus quæ religionis unitas populis affert, aut ex malis quæ ex dissidiis circa religionem oriuntur, adduci solent, etsi aliàs opportunissima sint; causæ tamen catholicorum in Angliâ iniuriè applicantur, tum ob ingentem eorum numerum, tum etiam ob pacatos catholicorum mores, cæterasque locorum et temporum circumstantias. Quòd si his addimus à sensatis viris in Angliâ libertatis catholicorum utilitatem magis in dies æstimari, odium verò in potestatem

romani Pontificis, et in catholicos quos *papistas* appellare solent, multùm esse temperatum, sperandum est etiam in infimâ plebe cæcum in catholicos furorem esse valdè minuendum. Unde gubernium Angliæ turbidos infimæ plebis motus exinde metuere desinens, cum catholicis præcipuè Hiberniæ, beneficia eis gradatim concedendo, agere poterit; ut ipsi in militiâ primùm, deinde in aliis de regno optimè mereri valeant, et tandem omnimodam liberationem, seu ut aiunt *emancipationem*, consequantur (*ib. n.* 316 *et* 317).

§ XIII. In Daniâ et Sueciâ lutherana religio toto sæculo decimo octavo tranquillè dominata est: in utroque autem regno plures sunt catholici, et in Sueciâ maiori quàm antea libertate his ultimis annis fruuntur. Regis enim fratre anno octogesimo primo, et post biennium Rege ipso Romam profectis, et cum Pio septimo amicè collocutis, in ipsâ Stocholmiâ catholici templum ædificarunt, in quo Divina officia celebrant. In eâdem regiâ urbe romani Pontificis apocrisarius extat, qui rebus catholicorum in eo regno consulit (*ib. n.* 318).

§ XIV. In vastissimo Russiæ Imperio à sæculo decimo religio græca schismatica dominatur; in cuius tamen disciplinâ multa, præcipuè ab imperatore Petro cognomento *Magno*, immutata sunt. In iis provinciis, quæ regno Poloniæ in partes diviso Russiæ accesserunt, ingens est catholicorum numerus, qui idiomate rutheno seu slavo in Missâ, Divinis officiis et sacramentorum administratione utuntur, sicut rutheni schismatici, atque ritus antiquos illius ecclesiæ græcæ sequuntur. Frequentissima sunt apud catholicos ruthenos, sicut apud schismaticos, monasteria, pluresque etiam episcopi catholici, qui omnes unico metropolitæ subsunt. Benedictus quartus decimus nonnullas constitutiones seu epistolas ad catholicos ritûs rutheni dirigebat. Sunt etiam in Russiæ Imperio plurimi evangelici præcones seu *missionarii* latini ritûs, qui schismaticis, paganis etiam et mahometanis convertendis operam navant. Imò ad Volgæ ripas Catharinâ in Russiâ imperante, plures ex Germaniâ familiæ catholicæ cum suis parochis seu *missionariis* in locis

incultis stabilitæ sunt, quæ adeò multiplicantur, ut anno præsentis sæculi quinto in solâ provinciâ Saratobiæ centum circiter essent catholicorum millia sub paucorum *missionariorum* directione constituta (*ib. n.* 319 *ad* 321).

§ XV. Eadem Imperatrix catholicis omnibus sibi subditis multùm favebat, atque singulari benignitate accipiebat *Iesuitas*, qui post ipsorum è variis regnis exilium et post Societatis extinctionem, ad Imperium illud, præcipuè ad provincias catholicas quæ antea Poloniæ fuerant, magno numero accedebant, aut iuvenum instructioni, aut ecclesiæ ministeriis se devoventes. Unde postea ab anno octingentesimo imperator Paulus primus romanum Pontificem exorabat, ut Societatem restitueret : cuius votis, re maturè perpensâ, benignè annuens Pius septimus anno præsentis sæculi quarto, bulla ad Franciscum Careu directa, Societatem Iesu secundùm ipsam sancti Ignatii regulam in Imperio Russiæ instaurari concedebat (*ib. n.* 322).

§ XVI. Hac occasione multùm hisce temporibus schismaticam Ruthenorum ecclesiam cum Romanâ reconciliandi desiderium exarsit, imò aliqua fuit spes. Iam ab initio sæculi proximè elapsi huius pacis consilium imperatori Petro primo Parisios transeunti proponebant sorbonici quidam doctores : frustrà tamen, ob nimiam episcoporum Russiæ resistentiam. Hi verò episcopi pacem tunc faciliorem quàm antecedentibus sæculis esse fatebantur : neque in dubium verti potest ab eo tempore plura pacis obstacula remota fuisse, præcipuè his posterioribus lustris, quibus odium schismaticorum in romanum Pontificem valdè tepuit, atque Imperiali decreto sancitum est ne quis in totâ Russiâ de romano Pontifice malignè loquatur. Sed de Russiâ satis. Ad Ecclesiam sub turcarum servitute considerandam accedamus (*ib. n.* 323 *ad* 325).

CAPUT IX.

Status Ecclesiæ in Imperio Turcico, Africâ, Asiâ, et Americâ.

Ecclesiæ status in Imperio Turcico 1: in quo plures sunt latini disseminatores fidei 2, et catholici diversorum rituum: Maronitæ 3: Melchitæ: Slavi 4: Armenii: Copti 5: et Franci seu latini 6. Pauci christiani in Africâ ad oras mediterranei maris 7, et Oceani: plures in Fortunatis et aliis insulis 8. Abyssiniæ Imperium christianum est; at eutychianum 9. Sunt catholicorum cœtus in Thibeto, Persiâ 10: in coloniis indianis Lusitanorum: concilium Diamperitanum 11. Verbi divini præcones regna mediterranea penetrant 12. Sinarum ecclesia quandoque protecta 13: sæpè multùm afflicta 14. Etiam in Cocinchinâ, Tunquino et Coreâ 15. In Iaponiâ ecclesiam mox frequentissimam fundabat S. Xaverius 16: sæva persecutio: frequens martyrii desiderium 17: martyrum multitudo, et tormentorum immanitas 18: odium in christianos furens et constans 19. In insulis Philippinis Ecclesia florescit 20. In Americâ sunt ecclesiæ catholicæ in regione Canadiensi 21: in Provinciis Unitis 22; et præcipuè in Americâ hispanâ 23: in qua insignes episcopi, et præcones evangelici indesinenter laborant 24. Sicut et in Brasiliâ seu Americâ lusitanâ 25.

§ I. Turcicum Imperium in Europâ, Asiâ et Africâ ingenti provinciarum numero coalescit, in quibus Ecclesia christiana, et martyrum fortitudine, et monacho-

rum austeritate, et sacerdotum scientiâ et zelo, et aliorum fidelium sanctis moribus per plura sæcula maximè floruit. Omnes hæ provinciæ nunc mahometanorum potestati subduntur. Et quamquam ingens sit adhuc in illis christianorum numerus, maior pars græcorum schismaticorum est, et magna etiam nestorianorum et eutychianorum. Ecclesia græca schismatica antiquam divisionem in quatuor præcipuos patriarchatus etiam nunc retinet, nempè Constantinopolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, et Ierosolymitanum. Alii quoque minores patriarchæ seu *exarchæ* in Georgiâ, Mingreliâ et Armeniâ sunt, qui Constantinopolitanum superiorem agnoscunt. Nestoriani etiam et eutychiani suum quique patriarcham habent, cui omnes sectæ episcopi subduntur (*Lib.* XVI. *n.* 326 *ad* 328).

§ II. Tanta schismaticorum et hæreticorum copia maximam labori ac zelo *missionariorum* catholicorum segetem offert; in qua colligendâ ut utiliter insudare possint, à mahometanis quærendis abstinent. Nam et mahometano converso, et *missionario* à quo dirigitur, inevitabile ultimum supplicium apud turcas, sicut apud omnes cæteros Principes mahometanos est. Si qui autem ex hac superstitione ad Christi Ecclesiam sponte accedunt, eos *missionarii* cum plausu suscipiunt, et statim monere solent, ut propriæ et *missionarii* vitæ consulentes, è turcarum dominio exeant. Ex quo in potestatem turcarum Imperium constantinopolitanum cecidit, ab Ecclesiâ latinâ semper apostolici aliqui viri eò proficiscebantur ut catholicos in fide sustinerent, schismaticos verò seu hæreticos ad veram revocarent Ecclesiam. Hæ legationes frequentiores his ultimis sæculis fuere, præcipuè post institutam Romæ celebrem congregationem *de Propagandâ fide*, quæ orientalium rituum libros ecclesiasticos propriis characteribus edi curavit, et multa alia in bonum earum ecclesiarum providit (*ib. n.* 329 *et* 330).

§ III. Ecclesiæ autem catholicæ seu catholicorum congregationes in turcarum Imperio ratione diversorum rituum sex distingui solent: *Maronitæ*, *Melchitæ*, *Sclavones*, *Armenii*, *Copti*, et *Latini* seu *Franci*. *Maroni-*

tarum regio propria ea est, quæ montes Libanum et Antelibanum cum valle intermediâ comprehendit, eiusque ritûs catholici in aliis Orientis provinciis, præcipuè in Syriâ plures sunt, et omnes proprio patriarchæ, qui Antiochiæ residere solet, subiiciuntur. Celebrem synodum anno trigesimo sexto sæculi decimi octavi celebrarunt, quam Benedictus quartus decimus probabat, iubens tamen episcopos perpetuos in posterum fore, cùm antea ad nutum patriarchæ à sede removeri possent (*ib. n.* 331 *et* 332).

§ IV. *Melchitæ* seu *imperiales* antiquum nomen est catholicis datum ab hæreticis, qui concilium Chalcedonense admittere renuebant. Nunc verò græcos significat è schismate constantinopolitano conversos, eosve qui cum Romanâ ecclesiâ communionem semper servarunt: unde eorum ritus iidem ferè sunt ac illi ecclesiæ græcæ schismaticæ; et in Syriâ magnus eorum numerus est. *Sclavones*, *Slavones*, seu *Slavi* in Serviâ aliisque turcicis provinciis extant, quæ antea ad Illyricum et Mæsiam seu Pannoniam pertinebant. Antiquo idiomate slavo utuntur, et Libros sacros ex sancti Hieronymi versione habere credunt (*ib. n.* 333 *et* 334).

§ V. Quoniam ex Armeniâ ingens hominum numerus ad diversas Orientis regiones continuò emigrant, hinc *Armenii* ubique inveniuntur, tam inter schismaticos et hæreticos, quàm inter catholicos. Schismatici, qui ferè omnes etiam hæretici sunt, suum patriarcham habent, qui Constantinopoli habitare solet, atque armenios catholicos passim inimicè insectatur. *Copti* vocari solent quicumque christiani antiquis Ægipti ritibus et idiomate in sacris utuntur: et quamvis plures schismatici sint et eutychiani, magnus tamen catholicorum inter ipsos est numerus. Ad hos omnes varias epistolas seu constitutiones scribebat Benedictus quartus decimus, et proprios et antiquos cuiuslibet gentis ritus, quibus error nullus mixtus sit, magnâ sedulitate servari iubebat (*ib. n.* 335 *et* 336).

§ VI. Etiam latini *missionarii* ritum suum in sacris retinent in pluribus ecclesiis, quas per totum Orientem

habent. Imò in Ierosolymitano sancti sepulchri templo, variæ capellæ sunt, in quarum singulis, græci, copti, armenii, et aliorum rituum orientalium catholici, sicut etiam latini quos ibi *francos* vocant, suis quique propriis ritibus sacra peragunt. In toto tamen Imperio turcico quamvis cuiuslibet religionis exercitium, et ecclesiam seu templum haberi facilè concedatur, dummodò ea pecunia, quæ pro circumstantiis maior vel minor exigitur, accuratè solvatur; nihilominùs variis prætextibus frequentes persecutiones à schismaticis et hæreticis in catholicos, quos apud turcarum gubernium accusant, sæpè excitantur. Etenim gubernatores turcæ accusatores avidissimè audiunt, conquirendæ pecuniæ ansam quærentes; ob cuius inopiam sæpè *missionarii* exulare iubentur, ecclesiæ diruuntur, nec raró catholici aliqui ad martyrii coronam perveniunt (*ib. n.* 336 *et* 337).

§ VII. Sed iam ad maritimas oras et mediterraneos tractus Africæ nos convertamus, in qua totâ nil ferè nisi monstra et deserta christianis oculis obversantur. In longis maris mediterranei ex parte Africæ oris ab Ægipto ad fretum usque Herculeum, seu ad Oceanum, ubi tot antea et tam præclaræ ecclesiæ fuerant, nullibi iam ferè Christi nomen invocatur, præterquam in servorum christianorum ergastulis, in Religiosorum hospitiis, qui servorum curandorum aut redimendorum causâ ibi tolerantur, et in quibusdam arcibus, quas Rex Hispaniæ ibi possidet. Non enim in iis provinciis, ut in pluribus Imperii turcarum, ab antiquis incolis descendentes christiani, vel schismatici, vel hæretici, vel catholici inveniuntur, sed indigenæ iam ab aliquot sæculis mahometani omnes sunt. Post Icosium in Mauritaniâ terræ motibus valdè concussum, et à Rege Hispaniæ sæculi decimi octavi anno nonagesimo Ruscuritano Regi cessum, præcipua hispanorum arx in Africâ est Septa in ipso freto Herculeo, ubi episcopus est, et magnus militum arci defendendæ reorumque inserviendi eius mancipio destinatorum numerus. Quia tamen à triginta circiter annis inter Reges Hispaniæ aliosque christianos et Mauritaniæ Principes pax inita est, servorum christianorum in Africâ numerus

paucissimus manet, ac frequens initur inter Europam et Africam commercium. Unde plures in africanis urbibus europæi habitare incipiunt, quos inter Evangelii præcones, sicubi fructuosè laborare possint, faciliùs latebunt (*ib. n.* 338).

§ VIII. Longissimas ab ostio Oceani ad frontem Africæ, quod promontorium vocant Bonæ-Spei oras maritimas mahometani et idololatræ ferè omninò nunc occupant, quamquam lusitani sæculo quinto decimo verbum Dei per plures earum tractus magno labore seminaverint. Pauci sunt iam regnorum Congi et Angolæ termini, qui Lusitaniæ nunc subiiciuntur; in eis christiana religio colitur: Angolæ extat episcopus lusitanus, et sub eius directione plures etiam *missionarii* fidem Christi gentilibus vicinis prædicant. In celebrioribus insulis ad occidentalem Africæ partem adiacentibus, nempè in *Canariis* seu antiquis Fortunatis, quæ hispanorum coloniæ sunt, et in *Madera* atque *Azoribus* quæ ad Lusitaniam pertinent, religio catholica sub episcoporum regimine sicut in Hispaniâ et in Lusitaniâ viget. In ipsâ Africæ fronte præter urbem et portum, quemdam terræ tractum Hollandia iam diu possidebat: at de Christi nomine iis regionibus prædicando, non magna illi cura hactenùs fuisse videtur. Ab isto magis australi Africæ promontorio, ad aliud magis orientale quod *Aromatum* vocari solet, etiam lusitani frequentes colonias et magnum cum indigenis commercium constituerant; simulque ferventi zelo Christi nomen illis gentibus idololatris prædicabant. At pauci sunt tractus qui lusitanis adhuc pareant: in quibus *missionarii* sunt, qui non solùm christianos ibi degentes in viâ salutis dirigunt, sed gentiles quoque ad eam adducere conantur. In insulis *Borbonis*, *Franciæ* et *Rodriguez*, quæ Gallis subsunt, utiliter prædicatur evangelium (*ib. n.* 339 *ad* 342).

§ IX. De mediterraneis Africæ regnis aut regionibus pauca novimus. Attamen iuxta mare Rubrum et ipsius Oceani oram *Azaniam*, in qua *Aromatum* promontorium est, magnum Abyssiniæ seu Æthiopiæ Imperium iacet, quod unicum Africæ est, in quo religio christiana im-

perantium protectione fruatur. Abyssini christiani hæresi eutychianâ infecti sunt, seu Chalcedonensis concilii à Dioscori tempore, ut videtur, inimici. Et quamquam sæculo sexto decimo lusitanis opportuna auxilia Imperatori ministrantibus, fides catholica ibi interdum liberè prædicata et postea etiam à duobus saltem Imperatoribus protecta fuerit, tamen à succedente Imperatore *missionarii*, et ipsius avunculus, martyrio coronabantur: sed et exilio, aliisque pœnis severè mulctabantur qui catholicam profiterentur fidem: alii autem postea advenientes *missionarii*, aut in ipso itinere aut simul ac perveniebant, in odium fidei sæpiùs interficiebantur. Unde Ecclesia catholica ibi omninò defuisse videtur. Abyssini monachi ab unione cum latinis semper maximè abhorruere. Et hæc de Africâ (*ib. n.* 343 *ad* 346).

§ X. In Asiâ quinque sunt præcipuè regiones, in quibus mahometismus et paganitas summo cum imperio dominantur, nempè India, Tartaria, Persia, Sina, et Iaponia. In iis autem aliqui catholicorum cœtus seu ecclesiæ inveniuntur, *missionariorum* zelo atque labore institutæ, directæ, conservatæ, et auctæ. Ad regnum Thibeti in Tartariâ liberâ à tempore Benedicti quarti decimi religiosi Capuccini mittuntur, qui magno fructu in earum gentium conversione laborant. Aspahami in Persiâ episcopus catholicus est, et in pluribus eiusdem Imperii civitatibus sunt *missionarii* latini. Etiam in Indiâ non modò in tractibus qui europæis Principibus christianis subsunt, sed etiam in Regum indigenarum urbibus (*ib. n.* 347 *et* 348).

§ XI. Erant etenim in iis regionibus plures antiqui christiani, aut græcorum schismate, aut nestorianâ hæresi irretiti, quando lusitani superato promontorio Bonæ-Spei ad ea maria primi ex Europâ navigarunt; atque in eorum conversione tanto fructu Divini verbi præcones lusitani laborarunt, ut in concilio Diamperitano anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono ab archiepiscopo Goensi habito, plus quàm octingenti variarum antiquarum ecclesiarum ex totâ Indiâ legati qui intererant, fidem catholicam amplexi fuerint. Quamquam ve-

rò lusitanorum potentia in iis regionibus multùm decreverit, extant adhuc in eorum coloniis Indicis præter archiepiscopum Goensem duo episcopi in eâdem orâ Malabaricâ, nempè Coccini et Granganoris, totidem in orâ orientali seu Coromandelis, nempè Meliaporæ et sancti Thomæ á Meliapora, et alius episcopus ultra Gangem, nempè in urbe Malaccâ quæ est in peninsulâ et freto eiusdem nominis (*ib. n.* 349 *et* 350).

§ XII. Ex maritimis lusitanorum coloniis cis Gangem ad mediterranea ipsius peninsulæ regna, Madurense, Mesurense et vicina, quidam *missionarii*, austerisimâ vivendi ratione assumptâ, magno cum fructu Evangelium prædicaturi accedebant: in quo lusitanus *iesuita* Ioannes de Brito cæteros famâ superabat. Inter Indiæ verò *missionarios* etiam certamina quædam iis similia, quæ de ritibus Sinarum memorata sunt, facilè ciebantur; quæ Benedictus quartus decimus tollere satagebat. Sed iam de Ecclesiæ statu in magno Sinarum Imperio nonnulla dicamus (*ib. n.* 351 *ad* 354).

§ XIII. Quamquam circa medium sæculi decimi sexti Christi nomen in Sinarum Imperio prædicari cœperit, christiana tamen religio post triginta circiter annos firmiores radices agere incipiebat, cum P. Matthæus Ricci et alii socii *iesuitæ* scholam scientiarum europæarum, ac præcipuè mathematicarum, in ipsâ Regiâ urbe auctoritate Imperatoris erigebant; qua occasione Christi fidem discipulis aliisque instillabant. Ingens erat iam christianorum cœtuum ferè per totum Sinarum Imperium numerus, cùm anno quadragesimo quarto sæculi decimi septimi illud tartari occupabant; quorum primus Sinarum Imperator *iesuitas* cæterosque præcones evangelicos maximè protegebat. Cùm verò Imperatore moriente eius filius et successor adhuc puer esset, Imperii administratio quatuor magnatibus commissa est, qui cùm christianos odio haberent, sævissimum in illos bellum excitarunt. Quando verò iuvenis Imperator ad iustam ætatem perveniens Imperii habenas sumpsit, christianis non modò promptam et tranquillam pacem, sed singularem etiam protectionem concessit. Imò anno nonagesimo se-

cundo Imperiali decreto sanciebatur, religionem christianam, ut plures alias, in Imperio tolerandam esse (*ib. n.* 355 *ad* 358).

§ XIV. Sic res prosperè se habebant, donec moto inter *missionarios* certamine de ritibus, *missionarii* qui eos damnabant, exilio mulctabantur; et inde sæpiùs christianorum inimici Imperatoribus aut eorum administris suggerebant ex dissidiis inter christianos eorumque doctores tranquillitatem publicam turbari posse. Præterea à *missionariis* religionem moresque europæos inter Sinas introduci, ut postea Principum europæorum dominio se tradant, calumniari solebant. Atque cùm inter Sinæ christianos plurimæ sint sacræ virgines et viri continentes, irrationalis in matrimonium odii eos accusabant. His aliisque prætextibus pleræque persecutiones variis temporibus motæ sunt, et plures *missionarii*, aliique fideles illustribus martyriis coronati. Sunt tamen in ecclesiâ Sinensi sex episcopi, qui indigenas quoque ad sacros ordines elevant. Ingens est scholarum numerus, in quibus aut pueris aut puellis prima litterarum artiumve rudimenta traduntur, ut hac occasione in fidei quoque rudimentis instruantur. Sunt quoque domus aut collegia, in quibus nonnulli pueri et iuvenes ad clerum candidati educantur; et hæc collegia scopus esse solent, in quem primi persecutionis ictus diriguntur; unde operariorum in eâ ecclesiâ summa inopia est (*ib. n.* 359 *et* 360).

§ XV. In Cocinchinæ et Tunquini regnis, quæ passim eidem Regi subdi solent, simillimi sunt indigenarum mores Sinarum moribus: æquè facilis plurium conversio: similes quoque persecutionum causæ: frequentia martyria, et magna operariorum inopia. Initio præsentis sæculi arduum et longum civile bellum à legitimo Rege feliciter finiebatur, cui cùm christiani belli tempore semper fideliter obediissent, ideòque in tractibus ab usurpatore occupatis immaniter exagitati fuissent, magno affectu à Rege protegebantur, maioremque promereri sperabant. In Coreâ, nisi fortè tractum aliquem Sinæ viciniorem excipias, Christi evangelium ad annum usque millesimum septingentesimum octogesimum quartum prædicatum fuisse vi-

detur. Tunc verò à nobili iuvene Petro Ly in Sinâ educato et ad fidem converso, mox ut Coream redibat tanto zelo et prudentiâ prædicabatur, ut brevi tempore magnus christianorum cœtus cogeretur; cui tandem post mille obstacula superata, desinente anno nonagesimo quarto, sacerdos *missionarius* è Sinâ veniens præsidebat, et sacramentorum administratione et Missæ celebratione fideles maximè solabatur. Statim verò religionem novam gubernium sævissimè oppugnavit, et quidam christiani illustri coronabantur martyrio. Singulari tamen Dei providentiâ factum est, ut durante maiori persecutionis impetu *missionarius* lateret, et postea ruinas, quas vix fundata ecclesia passa fuerat, reparare posset (*ib.* 361).

§ XVI. Inter omnes verò Orientis ecclesias *missionariorum* labore his posterioribus sæculis plantatas, et sudore atque sanguine irrigatas, nulla citiùs floruit et copiosiores fructus edidit, nulla etiam constantiori imperantium odio usque ad destructionem oppressa est, quàm ecclesia celebris Imperii Iaponiæ, quod ex pluribus insulis ad orientem et meridiem regni Sinarum adiacentibus constat. In hoc Imperio nomen Christi primus prædicabat sanctus Franciscus Xaverius; et post paucos annos iam in omnibus urbibus magni erant christianorum cœtus, et in pluribus nullus civis qui christianus non esset. Persecutiones quædam initio motæ non nisi ad fervorem fidelium inflammandum et ecclesiam extendendam conduxerunt. Anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto quatuor Iaponiæ viri principes longissimo itinere Romam veniebant, illorum Regum et populorum nomine romanum Pontificem ut Ecclesiæ caput veneraturi (*ib. n.* 362).

§ XVII. At non multò post viro nequissimo Imperii thronum ascendente, pluribusque christianis virginibus eius lasciviæ prostitui, quod antea in honore habebatur, omninò recusantibus, *missionarios* omnes ab Imperio exulare iussit, virosque maioribus Imperii honoribus in sago et togâ functos à christianâ fide removere arte et vi satagebat. Inde verò magis christianorum animis in fide firmatis, et ferventi martyrii desiderio ac-

censis, anno eiusdem sæculi nonagesimo sexto atrox persecutio sumebat initium. In urbe Nangazaqui viginti sex christiani, quorum novem *missionarii*, martyrio coronati sunt. Mirabili quoque constantiâ pro fide Christi mortem subierunt nobiles familiæ Minami et Taquenda, nempè non modò viri ipsi, sed alterius mater, utriusque uxores, et puer septennis. Etiam cum aliis duobus viris nobilibus duo eorundem filii, alter duodecim alter sex annorum, interficiebantur; immani gentis illius more, quæ in odium graviorum criminum etiam innocentes reorum filios iugulant. Similes in christianos persecutiones frequentissimæ erant non solùm in diversis Imperatoris provinciis, sed in terris etiam aut insulis plurium Regum, qui Imperatorem ut caput agnoscentes, odio in christianos illius gratiam promerebant. Ubique tamen christianorum patientia, constans fides, et ad tormenta mortemque sustinenda fortitudo, erant supra modum admirabiles (*ib. n.* 363 *ad* 369).

§ XVIII. Bellum tamen in christianos, lege anno millesimo sexcentesimo tertio decimo latâ, sævius et universalius fuit, ex quo antiquâ Iaponicorum principum in Hispanos et Lusitanos, tot colonias tunc in Oriente occupantes, æmulatione abusi sunt quidam europæi hæretici; atque hispanam religionem inibi prædicari non alio fine quàm ut dominationi hispanæ via aperiretur, suggesserunt. Hinc christianam religionem in toto Imperio penitùs aboleri, *missionarios* omnes inquiri, et in carcerem mitti, et præcipuis Imperii honoribus functos indigenas christianam religionem mox abiurare iubebatur. Quinquaginta ex aulicis Imperatoris ministris ob fidei constantiam vivi comburebantur, et multa christianorum millia in carceribus peribant, aut in publico interficiebantur patibulo. Quoniam verò martyriorum frequentiâ potiùs animari quàm deficere christianorum fortitudo videbatur, tormenta cruentissima, et pro gentis moribus perquàm infamissima excogitata sunt. Interea ut tam afflictæ ecclesiæ subvenirent, tamque fortium martyrum socios se præberent, ex insulis Philippinis, regno Mexicano, cæterisque Asiæ et Americæ coloniis, atque etiam ex aliquibus Eu-

ropæ regnis ingens *missionariorum* numerus ferventi zelo Iaponiam navigabat (*ib. n.* 370 *ad* 373).

§ XIX. Cæterùm ab anno sæculi trigesimo vigilantiori diligentiâ *missionariis* advenientibus aditus interclusus fuit, et qui occulti manebant inquisiti. Unde post sex circiter annos plus quàm trecenti presbyteri, qui eò usque sine stabili domicilio et summo labore, sæpè in montium cavernis occulti, ministrorum gubernii inquisitionem eluserant, comprehensi sunt, et post immania tormenta gloriosâ morte coronati. Tunc numerosa illa grex, quæ fortè duo millia millium christianorum adhuc in Imperio continebat, pastoribus orbata, dispergi cœpit, et à christianâ patientiâ, et à sustinendæ mortis tormentorumque fortitudine deviare. Tunc quadraginta circiter virorum christianorum millia vim etiam vi repellere posse in hoc casu arbitrantes, in arce munitâ congregabantur, unde libertatem religionis suæ profitendæ repetere cogitabant. At maiori exercitu ab Imperatore persecutis et victis, bellum in christianos inde immaniter ingravescebat: atque incredibile odium quo Iaponiæ Imperatores et Reges in christianos, veluti in publicos hostes, iam diu flagrabant, et nimis exquisita sedulitas, qua christianorum in eas insulas introitus iam tum impediri cœpit, etiam post centum et septuaginta annos adhuc perseverat: ut meritò dubitaberis num in toto illo vasto Imperio aliquis christianorum cœtus seu ecclesia nunc supersit (*ib. n.* 374 *ad* 376).

§ XX. Interea in insulis Manilis seu Philippinis catholica religio sub Hispanorum Regum protectione in dies maximè floruit. Præter archiepiscopum Manilensem tres ibi sunt episcopi. Augetur continuè indorum ad Ecclesiam accedentium numerus; et ex iis insulis ad plures vastissimas boreales et orientales Asiæ regiones *missionarii* frequenter enavigant (*ib. n.* 377).

§ XXI. Si ab Asiâ ad Americam transeamus, statim in Septentrionali duplicem ecclesiam catholicam invenimus, Canadiensem, et Provinciarum Unitarum. In regione Canadiensi, seu novâ Franciâ, ab anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto episcopus est in

15.

urbe Queveco, cui auxiliaris sive adiutor alter episcopus sociari solet, et plurium ut in Europâ ordinatarum parochiarum curam habent; imò etiam in novis ecclesiis formandis, et *missionariis* ad vicinas indorum gentes mittendis laborant *(ib. n.* 378 *)*.

§ XXII. In Provinciis Unitis cùm religionis cuiuslibet liberum exercitium à gubernio facilè concedatur, tantus est catholicorum numerus, ut ab anno millesimo septingentesimo octogesimo nono supremus ipse Consessus plures incolas episcopi alicuius catholici in eâ regione institutionem desiderare romano Pontifici exposuerit. Annuit tam piis votis summo cum plausu Pius sextus, et in urbe Baltimore sedes episcopalis erecta fuit. Nunc verò anno octingentesimo octavo ineunte, Baltimorensem sedem ad archiepiscopatûs honorem elevatam audimus, et quatuor ipsi *suffraganeos* episcopos institutos, nempè in urbibus Nova-York, Philadelphia, Bostone, et Kentuko. Atque inde catholicam in aliis provinciis religionem maximè exaltandam iure speramus, præcipuè iuvenum ad clerum candidatorum faciliore ac meliore educatione, et sic multiplicato ministrorum Ecclesiæ numero *(ib. n.* 378 *)*.

§ XXIII. In vastissimis Americæ regionibus, quæ ad Hispaniarum monarchiam pertinent, septem sunt ecclesiæ archiepiscopales, triginta quatuor episcopales, et parochiales innumeræ; atque in plerisque cathedralibus et parochialibus, imò etiam in monasteriorum religiosorum et sacrarum virginum ecclesiis, aliisque, Divinorum officiorum celebratio summâ gravitate, ordine ac magnificentiâ perficitur, perinde ac in ipsâ Hispaniâ solet. Initio ferè ubique parochi erant viri religiosi ex *missionariis* sumpti. Prout verò in singulis diœcesibus clericorum sæcularium numerus augetur erectis seminariis et *universitatibus*, parochiales ecclesiæ clericis sæcularibus successivè traduntur. Regularibus enim piis semper uberrima manet seges in indis ad socialem vitam summo labore adunandis, illisque populis quos *Reductiones* appellant conficiendis, atque ad Christi fidem convertendis, novisque ecclesiis formandis. Inter *reductiones*

Americæ famosissimæ illæ memorandæ sunt, quas *Iesuitæ* in Paraguaya regione instituerant et dirigebant (*ib. n.* 379 *ad* 381).

§ XXIV. Inter episcopos qui ecclesias Americæ fundarunt et hactenùs gubernarunt, atque inter religiosos Ordinum ferè omnium, ac præcipuè sanctorum Dominici et Francisci, atque Societatis Iesu qui arduum *missionariorum* munus expleturi Americam ab Hispaniâ indesinenter navigarunt; innumeri viri apostolici sunt, qui vitæ sanctitate ardentique gentes ad fidem Christi vocandi zelo, felicioribus Ecclesiæ sæculis digni censeri debeant. In exemplum memorare sufficiat sanctum Thuribium à Mogrovejo, qui archiepiscopus Limanus institutus vastissimam diœcesim totam bis ipse summo labore visitavit: indos pacificos in suis pagis visebat, et summâ patientiâ et amore audiebat et solabatur: indos etiam immaniores, quos vocant *bravos,* per abrupta montium ipse quærebat, et quasi cœlesti dulcedine ad eos sermonem habens, eorum ferocitatem sæpè superabat, et ad Christi gregem ducebat. Ubique cunctis diebus cum humillimâ plebe diuturnè et familiariter loquebatur, ei fidei rudimenta exponens, eamque à vitiis revocare, et ad christianas virtutes allicere satagens. Magnum etiam synodorum diœcesanarum et provincialium numerum habuit, quibus earum regionum clero et populo ingentia bona attulit. Etiam Mexici plura concilia celebrata sunt (*ib. n.* 382 *ad* 391).

§ XXV. Sicut autem Lusitanæ ecclesiæ faciem Hispanæ similem antea diximus, ita in vastis Brasiliæ regionibus, quæ lusitanæ coloniæ sunt, in quibus unus archiepiscopatus et episcopatus septem inveniuntur, ecclesiæ plures formatæ et ordinatæ, ut in Europâ, sunt. Et in novis ex indorum conversione formandis indefessus est *missionariorum* labor, quemadmodum de Americâ hispanâ dictum est. Sed hæc de præsenti Ecclesiæ statu in toto mundo dicta sint satis (*ib. n.* 392).

CAPUT X.

Cavendum à tribus inimicorum Ecclesiæ generibus.

Cavendum maximè ab incredulis 1 : et eorum libris 2. Religio christiana litterarum semina conservavit 3, et progressus fovet multis modis 4. Scientiæ naturales in populis christianis et non christianis 5. Cavendum ab omnibus qui reformationis prætextu ab Ecclesiâ Romanâ secedunt. Obedientia decretis Ecclesiæ non impedit progressus in scientiis 6. Cavendum etiam à factiosis, qui zelo mentito proprium commodum, minimè Ecclesiæ, curant 7. Fideles omnes in veneratione et amore Ecclesiæ firmentur 8.

§ I. Quæ de Ecclesiâ eiusque historiâ in hac synopsi tradidimus, etiam prout in Tractatu nuper edito quem breviandum sumpsimus fusiùs explicantur, insufficientissima sunt iis quibus Ecclesiæ defensio contra eius adversarios ex officio incumbit. Maiori enim doctrinæ copiâ ac studio eos armari opus est, priùsquam Divinam revelationem contra incredulos, aut catholicam fidem contra hæreticos propugnaturi in certamen descendant. Inopportunus tamen is labor noster non erit fidelibus generatim, quos præmunire oportet contra impium incredulorum conatum, qui calumniis, dicteriis, ac speciosis quibusdam sophismatibus, cuiuscumque conditionis virorum ac mulierum, præcipuè iuvenum scientiarum studio deditorum, fidem frangere aut turbare satagunt. Quicumque enim quæ hìc traduntur sedulâ cogitatione perpenderit, incredulos homines, aut ut pestiferos protinùs fugiet.

aut ut levissimos contemnet (*Lib. XVI. n.* 393 *et* 394).

§ II. Ab incredulis ii libri de rebus mathemathicæ, iuris naturæ, medicinæ, historiæ, aut de aliis scientiis naturalibus ut plurimùm extolluntur, quorum auctores incredulos esse aut velle videri norunt, quasi auctoris incredulitas accurati iudicii mentisque à præiudiciis liberæ certum foret indicium. Iuvenis tamen rectè institutus dum auctorem viderit in libro de scientiis naturalibus incredulitatis semina iacere, eum neque accuratâ methodo scribere, neque gravi iudicio veritatem in iis scientiis expendere potiùs suspicabitur (*ib.* 395 *et* 396).

§ III. Præterea facilè noscet quàm absona et absurda sit ea incredulorum cantilena, qua religione christianâ scientiarum naturalium progressus cohiberi deplorant: cùm brevis historiæ ecclesiasticæ notitia apertè demonstret, barbaris populis ab Aquilone Romani Imperii provincias occupantibus, scientiarum etiam naturalium et artium nobilium semina, commercium inter varios populos, atque sacræ et profanæ eruditæ antiquitatis monumenta peritura fuisse; nisi religio christiana ea omnia in templis, monasteriis et religionis actibus conservasset. Quòd si rationem, qua sæculis irruptionem barbarorum consequentibus scientiæ etiam naturales et artes in Europâ instaurari cœperunt, observamus; primas in eà partes romanos Pontifices habuisse apud incredulos ipsos legemus: imò in iis quæ *Universitates* scientiarum dici incipiebant, non alii magistri neque alii ferè discipuli quàm clerici initio videbantur; neque medicinam ipsam alii colere solebant quàm clerici (*ib. n.* 397 *ad* 400).

§ IV. Quid quòd ea ipsa, propter quæ magis catholicos calumniari solent increduli, ad scientiarum et artium progressus multùm contulere? Etenim acerrimis inter supremas civilem et ecclesiasticam potestates dissidiis, theologorum et iurisconsultorum mentes ab inertiâ, quas eas barbarorum dominium oppresserat, excitabantur; discebantque antiquitatem ipsam, seriem temporum, quæstionum originem, resque omnes accuratè perpendere. Bella sacra seu *cruciatæ* Orientis, nonne variis modis melio-

rem, seu artibus et scientiis opportuniorem politicam gubernationem in Europam induxerunt? Nonne navigationis et commercii ideas in immensum amplificarunt? Imò *scholasticismo* ipso, si attentè consideretur, dum plurima inutiliter agitabantur et excutiebantur, prima tamen et solida fundamenta iacta sunt, supra quæ novum et splendidum erigeretur scientiarum eruditionisque templum. Si quid enim magis accurati et opportuni in methodo scriptorum recentiorum est, quàm in scriptoribus antiquæ Græciæ et romanis sæculi Augusti, id profectò à methodo scholasticorum originem trahit. Præterea postquam scholasticis de philosophiæ et theologiæ quæstionibus etsi sæpè minùs opportunis, studiorum amor, laboris constantia, ac vis, ut ita dicam, mentis revixerant; Constantinopoli à turcis occupatâ ingens sapientum virorum atque librorum numerus ad occidentales partes ab Oriente accessit, quorum auxilio et exemplo antiquitas sacra et profana sæpiùs consulta, ac omne litterarum genus maiori iudicio, atque ut dici solet meliori gustu, excultum fuit. Attamen qui ex Oriente tunc venere scientiarum et artium thesauri, nonne ex monasteriis et ecclesiis, et ex eorum archivis seu bibliothecis deprompti sunt? His adde geographiam, historiam naturalem, physicam, antiquitatis notitiam, idiomatum scientiam, aliaque selectæ eruditionis genera, quæ his posterioribus sæculis maximè illustrata sunt, non contemnendam lucis copiam deprompsisse ex legatis sacris, seu *missionariis*, qui Evangelium per vastas regiones hactenùs europæis sapientibus aut omninò ignotas, aut parùm lustratas, prædicarunt *(ib. n. 401 ad 404)*.

§ V. Demum christianam religionem nedum in barbarorum irruptione scientiarum et artium semina conservasse, nec solùm subsequentibus temporibus in primâ earum instauratione præcipuas partes habuisse; sed etiam his posterioribus sæculis ad maximos litterarum, artium et scientiarum progressus multùm contulisse uno ictu oculi conspicietur, si earum status in populis christianis, cum statu quem in non christianis habeant aut habuerint, conferatur. Si ad vastissimas

Græciæ et totius Orientis provincias, in quibus post duodecim ferè sæcula, christianâ religione dirè vexatâ aut extinctâ, mahometana dominatur, oculos convertamus, quàm tristis se se offert scientiarum et omnis selectæ eruditionis casus! Si sapientum omnium mahometanorum, qui in his provinciis hactenùs fuerunt; si indorum quoque et sinarum, in quorum Imperiis, ut increduli dictitare solent, ratio tranquillè colitur et auditur; atque si antiquorum etiam græcorum progressus in scientiis naturalibus, cum progressibus quos in ipsis christiani fecerant conferantur: nemo profectò ambiget, in geographiâ, in mathesi, in moralibus et politicis disciplinis, in rerum naturalium studio, in historiâ, in idiomatum notitiâ, in philosophiâ, cæt., non modò mauros, sinas et indos, sed ipsos quidem antiquos græcos à christianis longè fuisse superatos. Huius autem discriminis causa nulla physica esse potuit; neque alia moralis, quàm religio pura, sensata, rationalis, quæ mentis seu rationis vim excitat, cursum dirigit, obstacula plura removet, et præcipitem lapsum cohibet. Sed hæc indicasse sufficiat (*ib. n.* 405 *et* 406).

§ VI. Præterea scientiarum præcipuè ecclesiasticarum candidati etiam monendi sunt, ut à *protestantibus* seu reformatis sibi caveant. Quo nomine eos omnes hìc intelligo, qui sectis aut cœtibus ab ecclesiâ Romanâ reformationis prætextu separatis adhærent. Nam catholicam Ecclesiam hi omnes calumniari solent, quasi fidei obedientiâ, quæ decretis ac definitionibus Ecclesiæ præstatur, scientiarum progressus cohiberetur. Sicut autem docilis christiana fides non catena est quæ mentem constringat ne in scientiis naturalibus progrediatur, sed nova lux qua offensiones et præcipitia declinet; ita etiam docilis catholicorum obedientia decretis Ecclesiæ, ac doctrinæ ab Apostolis per sanctos Patres continuâ traditione mananti, non nos in viâ scientiarum ecclesiasticarum detinet vel deviare facit, imò rectâ ducit ad vera ecclesiastica scita, ad nobiliora et utiliora probè cognoscenda. Quòd si quibusdam sæculis apud catholicos antiquorum populorum idiomata, mores et historia ad

sacræ Scripturæ intelligentiam opportuna parùm colebantur; si etiam ecclesiasticæ historiæ monumenta nec inquirebantur diligenter, nec satis scitè examinabantur: verbo, si quædam utilia ecclesiastica studia à pluribus catholicis negligebantur, id ab aliis causis repetendum esse, non à docili obedientiâ qua Ecclesiæ decreta à catholicis recipiuntur, plures ecclesiasticæ leges quæ ea studia commendant, pluriumque catholicorum singulares in iis progressus apertissimè demonstrant (*ib. n.* 407 *ad* 409).

§ VII. Præter incredulos et protestantes seu reformatos, apertos catholicæ Ecclesiæ hostes, tertia est hominum classis, à quibus dociles quilibet Ecclesiæ filii et præcipuè iuvenes scientiarum candidati maximè sibi cavere debent, ne à debitis Ecclesiæ amore ac veneratione removeantur: nempè factiosi illi zelotypi homines, qui familiam, scholam aut factionem particularem, cui nomen dedere vel affectum, eo falso zelo tuentur quasi ipsa foret Ecclesia Christi, vel saltem quasi sine illâ subsistere non posset Ecclesia, aut quasi bonum particulare illius idem esset ac totius Ecclesiæ generale bonum. Hinc turbidi plurium catholicorum in abusus Ecclesiæ clamores nasci solent, quibus quidquid propriæ familiæ aut factionis placitis vel moribus opponitur, totum statim abusus intolerabilis declaratur, et eò vehementiùs quò plures sunt aliæ familiæ seu ecclesiæ particulares quæ illud tolerant aut certè non improbant. Hinc etiam præceps de alienis opinionibus iudicium, quod hæresis, impietatis, laxitatis, vel nimiæ severitatis notam facilè iis imponit, quas alterius familiæ aut scholæ catholici tuentur. Hinc denique Pontificum decreta quæ familiam, mores aut placita propria commendant nunquam satis collaudantur. Si qua verò prædilectis opinioni aut familiæ adversa videntur, ea summâ vi, arte ac etiam impudentiâ facilè impugnantur (*ib. n.* 410 *ad* 412).

§ VIII. Opus est igitur, fideles Ecclesiæ filios non solùm contra incredulorum et *protestantium* calumnias et dicteria docili erga Ecclesiam veneratione firmari; sed etiam cautè agere ne amorem quem toti Ecclesiæ

debent, alicui Ecclesiæ parti, seu singulari familiæ aut scholæ tribuant. Imò prompto animo sint ut particulari iuri sive bono proprio, aut illius familiæ ad quam pertinent vel scholæ, in bonum universæ Ecclesiæ semper cedant. In hac veneratione et amore Ecclesiæ, ut christianus animus immobilis perseveret, ea quæ in hac synopsi dicuntur abundè sufficiunt. Ut enim prætercam præcipuas incredulitatis, hæresis, aut falsi zeli calumnias, præstigias et incantationes in ea dissipari, quo proinde cætera facilè repellantur; ex tota synopsi illud quod ab initio intendimus facilè colligitur, nempè Ecclesiam *Catholicam, quæ nunc in terris visibilis est, et innumeris fidelibus sub Romani Pontificis Pii septimi directione et auctoritate unitis constat, eandem* Ecclesiam *esse quam* Iesus Christus *in terris instituit; ac proinde eâdem veneratione et amore quibus eam semper veri christiani prosecuti sunt, nunc quoque christianos omnes prosequi oportere (*ib. *n.* 413 ad 418*).*



INDEX TOMI SECUNDI.



ERRATA CORRECTA.

Pag.	Lin.		
5	7.	prædicant.	prædicant,
6	ult.	Lugdunense	Lugdunensi
8	34.	potuisset;	potuisse,
13	25.	adnimadvertens	animadvertens
28	18.	Mentessanâ	Mentesana
35	2.	capites	capite
	3.	quingentes	quingentis
45	15.	recipiscens	resipiscens
46	3.	Initia	Initio
52	14.	Ecclesiaæ	Ecclesiæ
78	1.	concilio	concilii
88	1.	*Consolatione*	*Consideratione*
89	16.	laudasse	laudare
123	26.	coniugatorum	coniugatarum
123	12.	Sodaletus	Sadoletus
126	23.	appellationem	appellationum
128	35.	Augustanæ	Augustana
147	27.	virtuti	virtutis
149	30.	principilos	primipilos
175	4.	novam	novum
209	17.	Hæ	Hæc
215	16.	septimo	sexto
224	ult.	prædicatum fuisse	prædicatum non fuisse

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus romanus indicat ÆTATEM: duo arabici sequentes *caput* et *paragraphum* seu numerum. *Imp.* Imperator. *H.* Hæreticus. *M.* Martyr. *S.* Sanctus.

1*

D

E

F

H.

M

N


O

Q.




T.

U.


SEVILLA


B
U
S

colorchecker CLASSIC



calibrite